

Johann Ernst Schaper Ernst Heinrich Fecht

Medicinae Curiosae Specimen Quatuor Quaestionum Enodatione Ostensum

Rostochi[i]: Richelius, [1698]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730129217>

Druck Freier  Zugang



R U. med 1698.

Johann Ernst Schaper, Preis.

Ernst Heinrich Fecht, Resp.

70

ME DICINÆ
U R I O S Æ
SPECIMEN
TUOR QVÆSTIONUM
DDATIONE OSTENSUM,

Qvod
ff. Facultatis Medicæ consensu,
SUB PRÆSIDIO

EXCELLENTISSIMI CELEBERRIMI QVE
V I R I

JO. ERNESTI
SCHAPERI,

& Prof. P. de Studiis Literariis Medicisque
præclarissimè meriti,

PRÆCEPTORIS SUI, ALTERIUS PA-
RENTIS LOCO ÆTERNUM COLENDI,

Eruditorum placidæ collationi
exponit

Ad diem 7. Maji M DC XCIX.

ESTUS HEINRICUS
FECHT,

Durlaco - Marchico - Badensis.



ROSTOCHI,
ACOBI RICHELII, Ampliff. Sen. Typogr.

9

70

Unversy

MEDICINÆ
CURIOSÆ
 SPECIMEN
QUATUOR QUÆSTIONUM
ENODATIONE OSTENSUM,

Qvod
 Ampliff. Facultatis Medicæ consensu,

SUB PRÆSIDIO
 EXCELLENTISSIMI CELEBERRIMI QVE
 VIRI

DN. JO. ERNESTI
SCHAPERI,

Med. D. & Prof. P. de Studiis Literariis Medicisque
 præclarissimè meriti,

DOMINI & PRÆCEPTORIS SUI, ALTERIUS PA-
 RENTIS LOCO ÆTERNUM COLENDI,

Eruditorum placidæ collationi
 exponit

Ad diem 7. Maji M DC XCIX.

ERNESTUS HEINRICUS
FECHT,

Durlaco - Marchico - Badensis.



ROSTOCHI,

Typis JACOBI RICHELII, Ampliff. Sen. Typogr.

9

PRÆCEPTORI,
DOCTORIQVE MEO INCOMPARABILI,
JOHANNI ERNESTO
SCHAPERO,
ARCHIATRO FAMA CELEBERRIMO,
PROFESSORI DE STUDIIS MEDICIS
PRÆCLARISSIME MERITO,
PARENTIS MEI AMICO INTIMO,
ET SALUTIS IPSIUS CONSERVATORI FELICISSIMO,
QVI PER INTEGRUM TRIENNIUM
CURA INDEFATIGABILI,
LABORE INDEFESSO,
FIDE PLUSQVAM PATERNA,
NULLO UNQVAM A ME ACCEPTO PRÆMIO,
SOLO ANIMI SUI AFFECTU COMMOTUS,
IN NATURÆ MYSTERIIS
ET
MEDICINÆ ARCANIS,
ME FINXIT FORMAVITQVE;
PIAM GRATAMQVE ET ÆTERNUM MEMOREM
MENTEM HARUM STUDIUM MEDICI PRIMITIARUM
DEDICATIONE,
EX PATERNA ETIAM VOLUNTATE,
LUBENS LÆTUSQVE,
TESTOR ET OBSIGNO
E. H. FECHTIUS.



Nobilissimo Eruditæ Dissertationis
AUCTORI
Amico & Auditori suo Charissimo
PRÆSES

S. P. D.



Quartus jam agitur annus, ex quo sva-
su & consilio Venerandi Parentis tui,
quem & ego sincerè colo ac veneror
meæ Te tradidisti institutioni; Lu-
bens Te recepi, ut quâ possem, viam
Tibi ad Physicæ & Medicinæ vireta
præmonstrarem. Nihil hinc tempo-
ris præterlabi passus, quo aut consi-
lio aut opere desiderium tuum juvarem, ad quod eò ma-
gis excitabar, quo indies ad ardua percipienda ingenii tui
Felicitem probans, ad modestiam simul vitam mores-
que compositam gerebas, ut igitur id mihi incumbere cre-
derem, ne olim, quod uterque faceremus, pœniteret. Ad
Philosophiam saniozem sic indefesso studio prius sepositis
omnibus præjudiciis applicasti animum, sat innutritus ad
amicam magis veritatem alioquin nullam patere viam.
Per omnes Medicinæ partes me Præmonstratorem alacri-
ter secutus, & in omnibus imprimis examinatoriis colle-
giis ingenium tuum ad acutum perquirendum abundè de-
disti probatum. Studiorum tuorum incrementa cum sic
quotidiè caperes, & institutum nostrum ex voto succes-
sisse, Teque nifu indefesso quicquid ex ore meo hausisti,
in succum & sanguinem conversum tenere adverterem,
valdè

valdè semper lætatus, & adhuc tacitus mecum gaudeo. Et quis non Tibi toto animo gratulabitur? cum nihil quicquam magis acceptum bonæ menti esse possit, quàm quando Magni Parentis (cujus præclara in Academiam nostram merita sunt) Filius ad magnam eruditionis gloriam, à qua tamen modestiam nullibi sejungit, enititur & desideratam Parenti spondet expectationem. Prolixa factis ejus testis est tua eruditè conscripta Dissertatio, si augurari licet, ab erudito orbe obtinebis inde laudem, famam & gloriam. Faxit interim DEUS, ut studia tua felicissimè gesta ad feliciorum finem perducantur, sic gratulabitur sibi Parens tuus & ego delibutus gaudio reddar, de quo nullus dubito, cum indolem tuam noverim, non esse subsistere, sed progredi & intendere *plus ultra!* Vale, Scrib. in Musæo Calendis Maji. Anno M, DC. XCIIIX.



PRÆ-



PRÆFATIO.

HX eo statim tempore, ex quo Legis A-
cademiæ nostræ primæ, nullis laudi-
bus satis laudandæ, recordatus fui: *non*
discedendum ex hac Academia sine studio-
rum specimine, eo dirigebam omnes
meas cogitationes, ut & ipse publice
demonstrarem, me & in hoc Magistra-
tui Academico debitam obedientiam
denegare noluisse. Varia hinc mihi legenti & relegenti
scriptores Medicos quotidiè occurrêre themata curiosissi-
ma Exercitationi Academicæ alias satis convenientia: quæ
verò partim, quod eorum amplificatio uberrima jam ubiq;
apud Autores ad nauseam inveniatur, partim, & quod ma-
ximum mihi momentum fuit, cum captum meum longè
superarent, præterire malui, quam insulsis eadem observa-
tionibus meis obscurare. Sisto itaq; Lectori B. ante oculos,
quæ passim Autores Orbis eruditi illustres mihi suppedita-
runt, *Σημειώσεις* pauca, non minus curiosa, quam ardua, se-
cundum principia Recentiorum, quantâ diligentia fieri po-
tuit, enucleata. Sunt eadem talia, quorum licet mentio
non adeò rara passim inveniatur, rarissimè contra quoad
causas obveniat dilucidatio; adeòq; eo magis pagellæ præ-
sentes de Lectoris gratiâ sibi polliceri poterunt, cum resolu-
tionibus meis ex vilissimo licet ingenio prolatis, celeberrimi
Domini Præsidis illustrationes eo digniores succurerint. An-
te omnia verò DEUM T. O. M. supplex oro, velit ille omnia
mea cœpta itâ dirigere, quo cedant in sui ipsius gloriam, &
proximi emolumentum.

A

QVÆ-

QVÆSTIO I.

*Quid de iis hominibus statuendum, qui per multas hebdomadas, imò annos sine cibo & potu vixisse dicuntur? An talis ab-
stinentiâ in ipsis morbum arguat, & quomo-
do curandi sint?*

§. I.

Curiosa hæc non minus, quam arduæ resolutionis quæ-
stio Historicos partim, partim quoque Scriptores Me-
dicos tantopere defatigavit, ut vix Historiographum
ex curiosioribus prolixiorum inveniamus, quin & rarissimis
relationibus suis mentionem injiciat hominum diutissime
absque ullo vel cibo, vel potu vitam protrahentium, simul-
que in rationem hujus phænomeni summoperè dubiam, &
statum ejusmodi hominum inquirat, plerumque tamen in-
certum à se Lectorem dimittat.

§. II. Plurimi, iiqve satis celebres Viri ejusmodi rela-
tionibus, utpote à Viris fide dignis recensitis fidem maxi-
mam tribuunt, neque id quisquam ipsis vitio vertet, nisi im-
pudentissimus haberi velit. Consideremus enim inter exem-
pla innumerare ea, quæ maximè probabilia sunt, referentes
certè in causâ non erunt, & hinc multò minus eorum libros
perlegendo ipsis adhærentes accusandi, sed potius Abstin-
entes ipsi pro decipientibus habendi, uti ea mox pluribus ex-
plicabuntur.

§. III. Antequam autem ad fraudem ipsam detegendam
accedamus, apprimè notandum, non hîc quæstionem insti-
tui de ejusmodi hominibus, qui per dies VII. vel XI, vel pau-
lulum ultra, imprimis morbo, vel inopiâ vel casu alio coacti,
inediam pertulisse leguntur. Sed de iis, qui per menses, im-
primis per annos jejunasse perhibentur; quanquam nec in
illâ per dies abstinentiâ omnium unanimis reperiatur consen-
sus. Macrobius enim Lib. I. in Somn. Scip. C. VI. p. 42. sine
*HAUSTU cibi vitam ultra VII. dies non durare asseverat. Secu-
tus*

tus Hippocratem, quem eodem Cap. summo elogio *tam fallere, quam falli nescire* ait, idem Lib. de Carn. & Princ. asserentem. Plinius verò Lib. XI. Nat. Hist. C. LIV. *inediam homini septimo die lethalem esse negat, cum certum sit, durasse & ultra undecimum plerumq.* Hæc cum individua magis respicere debeant, sicq; nihil tale de plurimis, ne dicam de omnibus affirmare liceat, cum neutro tam liberè judicandum esse opinor. Obesi enim aut alii, qui crassæ & viscosæ intemperiei notantur, omninò longius impunè a sitiam ferunt, quam qui acrioris & calidioris temperamenti accusantur, cum jam tum eo in statu cum languore macilenti sint, ubi adhuc appetunt. Quibus acredo brevi aucta, & cum eâ simul macies, eaq; completa, quâ morti sine spe redituri appetitus a sitiam inducenti fores panduntur, avertetur? Ab individuo hinc durationem a sitia determinandam esse, eamq; pro individuali corporum constitutione variare, nec simpliciter Macrobio, nec Hippocrati, nec Plinio fidem dandam esse, ex hisce paucis pluribus patet.

§. IV. Dum hæc scribo, in memoriam mihi revocat Vir vastæ eruditionis fama jam diu illustris *Job. Christoph. Wagenfeilius* in Epist. ad Parentem meum, omnigenæ eruditionis mysteriis refertâ p. 37. historiam, in Act. Apost. C. XXVII. 33. descriptam, ubi in gravi atq; diuturno periculo navigantes ad sumendum cibum exhortatur Paulus, dicendo: *quartadecimâ die hodiè expectantes jejuni permanetis, nihil accipientes.* Ecce hi dicuntur non tantum *æoni sine cibo*, per integros XIV. dies fuisse, sed etiam additur ad confirmandum acerrimum jejunium: *nihil accipientes.* Moneor quidem simul à Genitore meo, debito cum honore nominando, *Henr. Hammondum* apud *Matb. Polum* in Synopsi longè aliter hunc versum, quam primore intuitu præfert, intelligere. Nempe, hoc tantum illum velle: quartodecimo die, qui hodiernus sit, (à concitatione maris, ut rectè Syrus)

expectasse navigantes, tanquam die critico & extremo, quem illa tempeftas tandem eſſet eventum habitura, atque adeò illo toto die jejunos atque ſine cibo manſiſſe. Quo pacto unius tantum diei abſtinentia prædicaretur. Hauſiſſe hanc opinionem *Hammondum* ex *Hiſtoriâ*, ut vocatur, *Scholaſticâ*, quam adducat ad hunc *Actorum* locum *Lorinus*, & improbet, addatque, eandem non diſplicuiſſe *Cartuſiano*. Verum conſenſu quodam à reliquis interpretibus omnibus hanc antiquo - novam ſententiam repudiari. Quamquam enim dicitur, quartadecimâ die, non quatuordecim dies, expectaſſe navigantes, rem tamen prorsus eodem recidere, cum jaſtati jam fuerint in quartum & decimum diem v. 17. & quidem ita, ut per longum hoc tempus cibo abſtinerent, ceu diſertè dicitur v. 21. Non tamen hos Theologos velle, quod planè nihil alimenti toto illo tempore aſſuſerint, ſed quod perparum & obiter, nullo vacantes prandio, vel cœna. Ita enim nihil edere & bibere ſumi, *Math. XI. 18.* Ea in ſententiâ apud *Polum* eſſe *Grotium*, *Corn. à Lapide*, *Eſtium*, *Menochium*, *Tirinum*, *Vatablum*, *Bezam*: atque his adungi poſſe *Camerarium*, *Lenæum*, *Calixtum*, *Lorinum*, *Salmeronem*, *Calvinum*, *Marloratum*, *Gagneium*, *Pelargum*, *Galovium*. Ridiculam eſſe *Gloſſæ* interlinearis expoſitionem, quod quatuordecim diebus non comederint, more ſolito menſæ aſſidendo, nocte tamen pauillum quid ſubinde decerpſerint. Quæ tamen *Lorino* teſte non diſplicuerit *Hugoni*. Sed nec deſuiſſe magni nominis Theologos, qui literæ claritate adducti penitus omni cibo per quatuordecim dies abſtinuiſſe navigantium illam multitudinem perſuaſi fuerint, periculi nempe magnitudine, & procellis immanibus, *Cimmeriis* diu noctuque tenebris, & amiſſâ omni vitæ ſpe, v. 20. enatâ, quo minus quidpiam ſumerent, deterritam. Unde nec *Paulus* poſt ſolutum tanti temporis jejunium cœnaſſe, (cum cibi in tanto terrore & concuſſione parari non poſſint) ſed panem tantum

tum sum fuisse dicatur. Ex quo videatur consequi, eos antea planè nihil sumpfisse cibi. Ita *παραρηξεν* Luc. *Ostrandrum*. Eamq; in sententiam *Lud. Wolzogenium* (quanquam cæteroquin pariter communi opinioni addictum allegare Augustinum & Chrysostomum.) Et quanquam ad horum testimonia excipiat Joh. Lorinus: *Augustinum non asserere, hoc jejunium tale fuisse, ut omnis cibi contineret abstinentiam, sed Ecclesiasticum, quo nimirum à prandio tantum abstinetur; tamen hanc glossam evidenter refelli, partim ex sacro textu, qui non latuerit Augustinum, partim ex ipsius Augustini verbis.* Nam apud Lucam non sacrum jejunium sed abstinentiam à cibo, ex præfenti necessitate & periculo, quolibet momento ipsis ob oculos versante, adeoq; omnis cibi & oblivionem & desiderium excutiente, ortam describi, ubi pleriq; gentiles fuerint, sacri jejunii ignari. Augustinum verò apertissimè loqui de jejunio, *quando plures dies sine ullâ refectioe continuantur*, ceu diferta Patris verba habeant in lineis, quæ è vestigio sequuntur.

§. V. Ut igitur inficiari nolim, fieri aliquando posse, ut Plinio teste supra undecimum diem quis omni cibo abstineat, (nam & *Gregorium Nazianzenum*, gravissimum Patrem, oratione ad Hellenium, de Monachis suâ ætate Ponticam solitudinem inhabitantibus, referre lego apud *Joh. Jacob. Homborgium*, Tract. de Quadragesimâ, Helmæstadii edito, A. 1677. esse ex illis complures, qui totos viginti dies, totidemq; noctes in Quadragesimâ cibo abstineant, atq; ex illis unum sui gregis ovem fuisse, in quibus meritò dubitari possit, annon extraordinarij quid, supraque naturam positi intervererit) de cæteris tamen magno numero ubiqve, etiam apud Joh. Schenckium in obs. p. m. 351. relatis, qui non per dies, nec menses, sed integros annos jejunium suum celebrasse perhibentur, non sine magnâ admiratione audientium hoc & videntium, idem affirmare nequaquam ausim.

§. VI. Quam impossibile jejunium tale fit, quisque rem rectius apud se considerans judicare poterit, modo partium corporis texturam Mechanicam & fluidorum deperditionem sive dispendium examinet. Sanguis per arteriarum rivulos é corde partium latifundia indefinenter subit, & humores partium solidarum nutritioni convenientes perpetuò eructat, quorum portio serosa, dum quædam per vasa lymphatica, vel chylo, vel sanguini reaffunditur, alia per glandulas miliares in fontes insensibilis & sensibilis transpirationis excretoria scilicet destillat vasa, quibus transpirantibus speculum & alia polita corpora obnubilantur, & linteamina instar fuliginis fœda fiunt, cum mirâ & indefinitâ odorum varietate, alii autem quandoque sudoribus ferè diffluunt. Hæc tanto fiunt dispendio, ut omnium visibilium excrementorum crasserum, sive liquidorum simul sumptorum pondus superent, referente Sanctorio in suâ Medicinâ Statica. Nec sola hæc inanis lymphæ, sed simul spiritus perduntur. Cum enim isti meandros indefinenter tendant, ac motibus ciendis quovis momento inserviant, pleno agmine ac turmatim abeunt in auras, qui hinc perpetim restaurari & renovari debent, nisi omnibus in minimis tam solidis, quam fluidis, sic animali œconomiâ, turbatio fieri debeat, eaque pessum ire. Porrò salivæ fontes os continuò, ut & fauces perfundunt, & multum ejus exspuitur, quæ ex Sanguine æque suos natales habet. Ventriculi lymphæ energatur, & bilis cum succo Pancreatico intestina irrigat, & crassiorum excrementorum, quorum insignem quantitatem Mesaraica eructant vasa, magnâ copiâ ejicitur. Nec minor urinæ excretio est, oculi salivâ suâ continuò irrigantur, & genæ nostræ sæpè eâ madidæ sunt, quæ sine interruptâ serie ex palpebrarum vasis novis profluit, & postquam oculis splendorem concessit, à carunculâ lachrymali reorbetur. Quæ omnia & singula sanguinis quotidiana proles sunt,

sunt, & nobis vel contradicentibus nihilominus procedunt, sic à nobis non dependent.

§. VII. Sanguis à tot largitionibus brevi esset impar, & succumberet oneri, nisi tanta dispendia resarciantur. Custodes hinc sustentationi præfecti sunt fames & sitis, quibus id redit, quod erat deperditum, ut sanguis indefinenter promus condus sit, quippe hæc cum vitâ pari ambulant passu. Si itaque fiat, ut quivis homo, vel ex partibus deglutitioni destinatis vitiosis, vel consilio ab omni cibo & potu nutriente, vel qualicunqve prorsus abstineat, quibus sanguis refocillabitur, & deperditorum fiet resarcimentum? Omni ex parte labe, defectus & noxa inducetur. Sanguini enim parum vel nihil affunditur, novus chylus accedere non potest, sufflaminatur utraqve transpiratio, cum nihil brevi superfit, quod avolare queat. Qvicquid enim spirituosum erat, turmatim jam tum cursu concitatori abiit, ac in reliquis actionibus, sive secretionibus, sive excretionibus dicantur, defectus reperitur, nullibi partes amplius irrigari possunt, nihil superest, quam sanguinis vappa ferè quiescens, & insuper turbata, & quicquid adhuc pro secretionibus partes ipsi destinatas alluit, id æque per contorduplicatos meandros profluit, & acre simul est. Unde ventriculus constringitur, intestina coarctantur, lactea vasa coalescunt, carnes consumuntur, fibrillæ concidentibus ita rigidescunt, ut latifundia partium nutriendarum nullibi relinqvantur, mors ante portam, ingreditur, victor evadit. Hanc tragædiam per aliquot dies durantem experiuntur tantum, quibus laudabilior sanguis, & ad justitiam magis temperatus est. Nec adhuc omnibus accidit, sed sæpè partibus solidis adhuc robustis inediâ moriuntur. Id satis suâ morte Virgo quædam confirmabat, cujus meminit *Craan* Tr. de homine p. 223. sibi imaginata erat, se non amplius ali posse alimentis, sed solâ & diligenti lectione verbi Divini, quod ipsi per revelationem quendam consta-

consta-

constaret, sese sufficienter posse ali. Constans hæc erat ejus persuasio, & per quatuor dies nil alimenti assumebat, & quanquam amici cibos cum prolixâ imminentis mortis demonstratione porrigerent, magnâ tamen cum aversione eosdem in patinas rejiciebat, ut jus in vestimenta affidentium profiliret. Sic studebat fami, & abstinebat per duodecim dies. Sed ad eum jejunandi gradum pervenire non poterat, ac Apollonia Schreieria, cujus meminit *Hildanus Obs. Cent. III. obs. 83r.* & cujus occasione Lentulus integrum conscripsit tractatum, sed die decimo tertio vitam cum morte cum commutaret, luculenta lethalis omnimodæ asitiæ testis erat. Alia mulier quinqvagenaria ex gulâ resolutâ cum alimenta assumere non posset, die septimo morti succumbens lethalem asitiam docebat: vid. *Tulpius Obs. Lib. I. p. 88.* Per dies aliquot alii jejunantes prius in rabiem conjiciuntur, sibi que ipsis mortem inferunt, quod inter alia de uno Britanno cum aliis sex commilitonibus in Insulâ Christophorianâ jejunantibus notabile erat, teste *Tulpio Obs. Lib. I. p. 84.* & quanquam contaminata ejus caro rabie erat, nihilominus famelicis suis dentibus reliqui esurientes Britanni subjiciebant, quo vitam servarent.

§. VIII. Hæc & talis verè abstinentium tragœdia esse solet. Sed alia res esse videtur cum iis, qui suâ abstinentiâ vel sub specie religionis, vel miraculi excitandi, quemvis in admirationem rapere conati. Non enim obstante, quod de his omnibus eadem asserantur mala, omnes musculosas partes fuisse consumptas, contractas, ventriculum, & intestina ac viscera constricta, ac depressa, ut etiam ob duritiem marmorei instar lapidis nihil colligi, nihil trajici, nihil influere potuisset, vid. *Quercetan. diæt. Polyhyft. Sect. II. cap. 4.* nec ex ullâ parte excrementa cessisse, & quæ alia jam superius nominata mala adfuerint, testes sunt *Citesius* in suo libro peculiari & alii, Feliciores tamen fuere tum in eo, quod imprimis

primis cit. Citesius de puellâ Confolentaneâ refert , qvod nihilominus non tantum vitam, sed & organis omnibus functionibus destitutis sensus & motus partes integræ fuerint, omnemqve operam in rem familiarem contulerit indigitata puella; tum etiam in hoc, qvod levissimo negotio per alimenta assumpta omnes partes sui corporis ad pristinum statum naturalem & officium redierint, prior imò denuo nutritio fuerit inducta. Qvis hæc & talia cum interitu in aliis conjuncta, in hisce innoxia, non mirabitur, aut ad ea stupebit? Idqve eo magis, si secundum Qvercetani opinionem viscera undiq; infarciens materia tartarea tam facilè dissoluta & assumpta fuerit, qvod maximè Podagricis solatio esset. Cum enim illis cum miraculo abstinentibus ex visceribus summè ad vitam necessariis resoluta tam facili negotio fuerit, non omnis deerit spes restitutionis à Podagrâ nodosâ, quam articulis hinc contractis ferunt. Nec minus Calculosis id inde accideret solatii, qvod & in eorum corporibus concreti lapides frangi possent, si modo placeat usus medicaminum calculos frangentium.

Sod tollere nodosam nescit Medicina Podagram,

& pro calculis semel in corpore concretis iterum dissolvendis parum auxilii, ne dicam nullum porrigit. Necessario solum isti pro miraculo abstinentes fuerint feliciores, & albæ Gallinæ filix dicendæ, qvod textura viscerum, omniumqve corporis partium semel prorsus vitiata redintegrata fuerit.

§. IX. Omnes abstinentium talium observationes è sexu seqviori petuntur, & maximâ parte sunt puellæ, quæ, ut formositatem, sic astutiam amant, quæ in quibusdam crescit & augetur, si suppleatur malitia. Spe lucri sic excitantur, etiam ad abstinentiam, licet cum imposturis & mendaciis eam servant, in paucissimis ad tam lethalem statum cum vitâ superstite, qvod impossibile judico, corpus deducitur. Sed tantum levi, vel paulo insigniori macie conspiciuntur, in qua

B

res

res maximè consistit, cum non multis, sed paucis natura contenta sit, quibus, licet non omnimodè, parcè tamen dispendia restituuntur. Hoc evidentissimè videre licet ex observatione elegantissimâ, insimulque tristissimâ supra citati *Tulpii* Obs. L. I. p. 84. quam suis verbis suppeditabo: Septem Britanni accinxerant se, in insultâ Christophorianâ, unius solummodo noctis itineri: ultra quam etiam non extenderrant com meatum. At interveniens tempestas abripuit imparatos longius in mare, quam ut potuerint reverti ad portum destinatum, ante diem septimum decimum. Quo tempore pepercere quidem, tam impenlè, cibo uni nocti duntaxat destinato, ut suffecerit ipsis in diem quintum: verum eo utique transactò, luctandum fuit reliquos undecim dies, cum omnimodâ inediâ, quæ eo ipsis fuit gravior, quo ardentius id temporis æstuarit sol, & vehementius exsucca ipsorum guttura exarefecerit exhalans incalescentis maris falsedo. Cujus intricati erroris, nullum finem promittente spatiofo mari, adigebantur tandem (ô durum necessitatis telum) ancipiti sorti committere, cujus carni urgentem famem, & quo sanguine compescerent inexplebilem sitim. Sed jactâ aleâ, quis eventum hunc non miretur? destinavit primæ cædi, primum hujus laniæ auctorem. Non secus, ac olim Phalaris, teste ipsius epistolâ, æneo tauro inclusit Perilaum, primum crudelissimi illius inventi fabricatorem. Sed, quod summè mireris, fuit hic vir non magis promptus in dando, quam imperterritus in sustinendo ferocis sui consilii eventu. Addens confidenter meticulosus animum, & obtestans non semel perterritos: præsidium ab audaciâ mutandum. Audaces fortunam juvare. Neque ullum ipsis deinde restare effugium, nisi dictum ac factum, fugientem vitam stiterint humanâ carne. Se lubenter fortunæ cessurum, imò beneficii loco accepturum; siquidem vel mortuus amicis proficit. Quâ oratione, ut non parum lenivit horrendi

di facinoris atrocitatem, sic erexit utique usque eo flaccidos
ipforum animos, ut tandem reperiretur aliquis, sorte ta-
men prius ductus, qui petierit animosè perorantis jugulum,
& intulerit vim volenti. Cujus cadaveris (horresco refe-
rens) expetiit quilibet illorum, tam præproperè frustum, ut
vix potuerit tam festinanter dividi. Respuentibus interim
nec carnem famelicis dentibus; nec sanguinem sitibundo
ventriculo; nedum inexpiabile hocce facinus animo, à ne-
cessitate jam planè devicto. Reperiebatur tamen inter ipsos
aliquis, qui ob arctiorem cum occiso familiaritatem, adver-
satus Thyestéam hanc cœnam, noluit fieri tanti facinoris re-
us: certus, quidvis potius perpeti, quàm se polluere, tam a-
mico sanguine. Quæ sententia obstinatè retenta conjecit i-
psum, postridie ejus diei in rabiem tam sævam, ut eâ percit-
us seipsum præcipitem dederit in mare. Sed qui aderant
focii, non patiebantur, tam inopportuno tempore, fame-
licis suis dentibus, tam desideratum eripi bolam. At con-
cepta rabies vitia verat jam tum ita ipsius Sanguinem, utique
carnes venis circumpositas, ut in universo corpore vix quic-
quam foret esui aptum, præter exta, quibus solis videbatur
id relictum, quod faceret ad avida ipforum palata. Ad tan-
dem misertus miserrimi hujus erroris DEUS deduxit ipso-
rum naviculam ad insulam Martinianam. Ex hac Tulpii re-
latione clarissimè videmus miserrimum exitum verè jeju-
nantium, simulq; edocemur, non semper opus esse, ut tan-
ta copia alimentorum quotidiè assumatur, ad sustentatio-
nem hominis, nec ita vivendum, quo obesitas sequatur. Ci-
tius enim fraude detectâ crumenas hominum emungendi
abstinentia tunc oritur, cujus gratiâ tamen & ciborum absti-
nentiam instituunt, & sic quoque & pyra & poma & placentæ,
& alia alio impostore secretâ ratione suppeditata servant
eorum abstinentiam, uti ex sequentibus patebit.

§. X. Hæc si penitius considerentur, licet sole meri-
diano

diano clarius sit, per mendacia & imposturas abstinentiam cum vitâ superstitie factam esse & fieri, inveniri tamen adhuc quis posset, cui nihil in talibus absumi, hinc nullam restorationem requiri persuasio sit. Sed ipsi sufficet, quod, ut recensitarum verè, vel cum miraculo & fraude abstinentium textura non variat, ita nec spiraculis differat, sed per cribrosum corpus facilius, quod non guttatim sub halitus tamen & vaporum insensibilium forma elabatur, quàm detineri potest. Speculum enim æque ab earum, ac aliorum digitis obnubilatur; oculi suâ salivâ irrigantur, & fauces madidæ notantur, imprimis, cum omnis vita superesse dicatur, & aptitudo quascunqve functiones sensuales perficendi, nisi à cibo & potu refarcimentum. Unde cum partium sufficienti vigore sine iis vita servabitur? Principium nostrum vitale singulis quidem inspirationibus ex aëre haurimus, sed solus aër non sufficit, aëreus & spiritalis à Qvercetano determinatus cibus nullus est. Motor sanguinis, ejusque in circulo conservator quidem est æther, juvat pariter, imò constituit spiritus, quos animales vocant, sed solus non sufficit, cum ex sanguine subtilissimum, spirituum materiam proximam, junctum vehat, necesse sit, & cum eo demum spiritus animales constituat: sanguis pariter ipsi modificatus sit, vis ætheri nec inanis sit & illudatur, ut in cadaverosi hominis sanguine res in aprico est, qui à vivi sanguine nonnisi motu differt. Nulla enim hic disparitatis ratio concedi, nec excogitari potest, cur cum miraculo abstinentes pro verè abstinentibus meliori fortuna fruantur, ut longius & innoxie vivant, & abstinentiâ nunquam ecentur, suffulti aëreo spiritu, quem & verè abstinentes hauriunt, sed ultra dies aliquot vitam non protrahere queant, cum tamen ex omni parte sibi æquales sint, eodemque utantur aëre, nisi per imposturas abstinentiam ferant. Id enim indubitatum, nisi subtilissimæ purpurei laticis partes simul
spiri-

spiritus constituere possent, aër non sufficiet solus, sed post languorem ineffabilem mors pallida ac festinans vitam eripit. Insuperioribus adducta exempla, si hic applicentur, nullus aderit locus veritatem ulterius defraudandi, cum insuper sana id impossibile dicitur ratio, ut impium ferè foret, si charitam in nocentem pluribus supervacaneis demonstrationibus oneraremus.

§. XI. Ast exempla & observationes à Viris ævi nostri celeberrimis magno ubiqve numero conglomerata, & quotidie in majus aucta & augenda objectionem nobis maximam constituere videntur, & inter innumeras ferè recentissima est observatio, quæ legitur in Actis Erud. Lips. An. 88. Mens. Jun. p. 330. ubi virgo quædam ex præcedaneâ contusione, dum currus super dorsum ejus transvectus, appetitum ita amisit, ut quatuor abhinc annis nil quicquam comederit, ad summum plus, quam sesquilibram panis aliusve cibi, cum pauxillo sachari, quo obducta fuerant XV. aut XX. grana anisi magnitudine nucis conditæ, nec biberit, nisi duos circiter aquæ cyathos. Quod verò maximè mirandum, hoc est, quod 35. abhinc septimanis ne pauxillum quidem vel biberit, vel manducaverit. En observationem stupendam! quæ primo intuitu contraria quidem apparet, sed in sequentibus, quantum ipsi fidendum, patebit.

§. XII. Referam ex Miscell. Curios. Dec. I. An. 3. p. 47. quæ celeberrimus Velschius circa hæc talia exempla vulgò ventilata observat, ex quibus fides etiam quoad cætera, utcunqve speciosissimo sæpè colore referantur, non suspecta tantum, sed desperata reddetur. Nec *Fortunii Liceti*, nec *Lentuli libros de prodigiosis inediis* ad veritatem indagandam admittit, sed erroris convincit *Licetum* ex eo, quod ipsa vita nihil aliud sit, quam nutritio, ipso *Aristot.* teste, ut, quæ vivant, nutriantur, & vicissim, quæ non nutriantur, nec vivere dici possint. Id quod optimè opponitur, cum inter nutritionis ne-

cessitatem & vitam nulla intercedat differentia, quarum altera, ut solidarum partium firmatio conservetur, prima & summe necessaria sit, quo vitalis principii & conservatio & perpetuatio fiat, hincque Licet talem fidem habendam, quam ipsi *Ferrarius* de Lucernis veterum perpetuo ardentibus habuit, dum ipsum doctissimus hic Patavii Medicus pariter & polyhistor peculiari Dissertatione refutaret, Anno 1670.

§. XIII. Nec minus idem Velschius non sine iudicio adjicit, quam abusive sæpè dicatur sine alimento vivere, si tantum solidus cibus, non tamen potus simul intelligatur, cum potus ut plurimum generosi sint, quibus ex parte vitalis principii perpetuatio fieri possit. Nec solam aquam plerisque ~~horis~~ bibisse; sed & juscula assumpsisse, historiis constat. Hinc si omnimoda intelligi debeat abstinentia, omni omnino ratione & fundamentis solidissimis munitus nobiscum prodigiosam abstinentiam negat, ejusque historias ad unam omnes fictas & ementitas affirmat. Quæ, ut facilius admittantur, consentientes secum adducit: Hildanum de Apolloniâ Schreieriâ. De Eva Flegenâ, Morfiacensi *Eundem*. De Catharinâ Conr. Bineri filiâ Schmidvilensi in palatinatu *Henr. Smetium*. De aliâ quadam *Job. Uvierum*. De puellâ Spirensi, aliisque pluribus *Job. Langium*. De Gallicâ Gerardi Bucoldiani, quam eandem cum abstinente Confolentaneâ *Franc. Citesii* nemo non commentum esse dubitaverit. De Scoto quodam *Job. Bapt. Montanum* tam frivolum relationem orsum esse, ut ipse à nescio quo, se audiisse, tantum fetetur. Nec minus dubiam esse relationem de Columbâ Romanâ, Virgine sacrâ, aliquot tamen mentes tantum cibo abstinente, quam habeat *Alex. Benedictus*, haud dubiè non omni, quod neciple adjecerit. Imò & alteram de Veneto 46. dies jejunante, nusquam certiores apparere. Et his quidem exemplis niti omnia, quæcunq; Marcellus Donatus, Georg. Horstius, David Lipsius apud Smetium, Joseph. Quercetanus, Mar-

Marfilius Cognatus & Cl. Deodatus, alter alterum exscribens æmulansque, in medium propofuerint, ut caufas deinde indagare liceret, & *in dion* quærent, antequam, de *cau* *en* apertius conftitiffet: nec ullam differentiam intercedere, quam quod impofturæ in aliis citius, in aliis tardius fuerint detectæ, prout fraudibus pariter & explorationibus majus ingenium, & Magiftratum five plenior indulgentia, five auctoritas accefferit.

§. XIV. Inftar omnium in majorem hæctenus dictorum fidem fit Exemplum prodigiofæ inediæ, quod multis circumftantiis recenfet laudatus Velfchius, quod integrum hîc appono: *cl* *lo* XIII. Anna Lamennittia, puella nubilis XVIII. circiter annorum, ut fanctitatis speciem fibi conciliaret, tam mirâ arte inediam confinxit, ut XVI. annis integris sine omni cibo vitam egiffè apud omnes indubium haberetur. Hæc fingulis feptimanis ad S. Synaxin accedebat, vulgoq; perfuadebat, non eâ fibi, quâ reliquis, magnitudine Sacram Hoftiam à Sacerdote præberi, fed longè minorem, quæ digiti minimi apicem vix æquaret, figillatim in fui gratiam præparatam, quia majorem, quin revomeret, retinere non poffet. Imaginem prætereâ Crucifixi in ædibus fuis habebat artificiofè constructam, ut multis fpectantibus sanguinem sudaret, quod ipfa poftèa confeffa eft. Cum proceffione publicâ templa adiret, crucis figuras in calanticâ fanguine depingebat, tanquam hæc quodam quafi prodigio inſciæ impluiſſent, ex quibus deinde multa vaticinari, atque adftantes ad pœnitentiam, etiam cum lacrumis, exhortari ſolebat. Tantâ jam undiqve apud omnes Religionis famâ fruebatur, ut Cæſar ipſe optimus Maximus, Maximilianus I. tum temporis Auguſtæ commoratus ipſam adire & præclaris muneribus donare ſit dignatus, quem alii deinde Magnates, ut fieri ſolet, ſequebantur. Sed Chunegunda, Soror Cæſaris, Ducis quondam Bavariæ conjux, deinde vidua, &
Mo-

Monaci sacrarum virginum Præful , ut erat supra sexum magnanima , docta & sapientissima , pietati suæ omninò convenire existimans , hac de re certiora explorare , postquam gravissimis rationibus inducta , percrebescens vulgi rumoribus diffidere cœpisset , multis blanditiis ad se puellam evocavit , & ut carpento quam mollissimè transveheretur , tandem obtinuit. Advenientem benevole excepit , & in cubiculum præparatum manu deduxit , de omnibus sciscitata , quicquid peteret , gratiosè subministrari jussit : sed unam ex Sacris Virginibus suis , cæteris prudentiorem , tanquam Ministram adjunxit , quæ nunquam ab illa recederet : ancillam verò , quam ipsa adduxerat , sæpè specioso prætextu avocavit : Interea per fenestram occultam , quid sola ageret , cum suis intentè observavit. Mox enim suspitio enata erat , cibum illam capere , quod duos saccos integros placentis , variisque partibus ovatis , pomis item pirisque plenos secum attulisset. Nec enim ancilla his opus habebat , quæ expresso Præfulis mandato in Cœnobio pariter , & per iter , prope modum superfluo apparatu lautissimè tractabatur. Hos saccos sub lecto recondiderat Puella , & nullo , cum putaret , arbitro præsentè , fructibus , laganisque adfatim se explebat. XIV. erant Virgines Sacræ , quæ id sæpius cum Duce suâ viderunt , quæ ideò productis testibus humanissimè eam increpuit , impietatem deindè seriâ magis Oratione exprobrans , periculum animæ ostendit , si pergeret mendacii auctorem spiritum pertinacibus imposturis in viscera sua advocare. Mox tamen iterum silentium promisit , quo omnia sepulta velit , si modo fucum se hæcenus hominibus fecisse , candidè fateretur , atque deinceps perpetuo desisteret. Tum illa , quid responderet , anxia , inter sacrum & saxum deprehensa , novam ex tempore versutiam pectore agitavit , & tanquam gaudio in lacrimas effusa , sanctitatis suæ opinionem in corporis adfectum improvidè transferens : credere se

fe

se, dixit, non aliam ob causam hoc accidisse, quàm quòd
Sacrae Præfulis & Virginum suarum precibus se quasi inno-
vatam, & priori dispositione liberatam sentiat. Sæpius e-
nim olim à se tentatum cibus vesci, quos tamen semper re-
move re statim coacta fuerit. At quem nunc illa adsumptum
vidisset, omninò retinuisse, quod præteritis annis XVI. in-
tegris nunquam evenerit: adsumpsisse autem, quia Dux
ipsa, ut faceret, illam tantoperè rogasset. Regessit Præsul,
placère sibi, quod ingenuè cibum sumpsisse fateretur, quia
nec diffiteri poterat, sed displicere, quod tam frivicolè & ab-
sonè cætera omnia commenta esset. Quorsum enim, in-
quirit, in mei gratiam tam occultè id faceres, cum in Soro-
rum omnium conspectu, si maximè tentandum tibi demum
fuerat, edere potuisses, & nostros quidem cibos, quorum
tibi copiam, quantam voluisses, obtulimus, non tuos, in
fraudis tuæ argumentum clam apportatos, & sub culcitrīs,
aut grabbato reconditos. Tum subridens, jam satis, ait,
convicta es, manuque arreptam, quia id tempus jam erat,
ad mensam deduxit, & nunc quoque in sui gratiam cœnare
jussit. Quod, dum cohortantibus cæteris, alacriter faceret,
subindè tamen in facie notas sibi deprehendere visa est, quæ
mentem illius tristitiâ & pudore aliquo, aut certè iracundiâ
quadam perturbatam indicarent. Ne igitur vel mortem si-
bi ipsa conscisceret, vel aliud quid sacro loco indignum per-
petraret, liberrimè quidem, sed diligentissimè in consortio
suarum Virginum custodiri voluit, literasque ad fratrem su-
um, Cæsarem Romanum, dedit, quibus rem omnem, ut a-
ctæ erat, significavit, clō Id XIII. ipsâ die S. Gallo festâ (quæ
Octobris XVI. est) scriptas. Has illi detulit Vir Nobilis à
Königsfelda. Mox illis lectis S. Cæs. Maj. Augustam redu-
ci jussit, Præfectisque & Senatui traditam, cum omnia, nullo
examinis rigore, confessa esset, nec quidquam negare posset,
exilio mulctari imperavit, eâ tamen moderatione, ut unius
diei

C. Augustinae consilii imperator diei

diei itinere à Patriâ suâ, & locis omnibus, quæ sua Majestas accederet, æternum abesset. Sic illa Campidunum primò profecta, monasterium ingressa, mox tamen vitæ minus religiosæ crimine ejecta est. Ideoq; mutato consilio Kaufbiræ viro nupsit, Joh. Schnizero, Ichtlandiâ Friburgensi. Quem cum deinde ἀπεργίως accusasset, contradicente marito & alia infanda objiciente, perpetua discordia infaustum conjugium experta, multos adulteros admisit, aliisque sceleribus se polluit, ut cl. I. XVIII. proptereâ capitis damnata, vitæ suæ stultissimè peractæ infelicissimum finem fecerit, undis suffocata. Tantum ex Miscell. Curios.

§. XV. Si jam penitius paulò eam ex Actis Lipsien-
sibus relationem pensitemus, & addamus ea, quibus abundè
impossibilitatem demonstravimus, de virgine abstinate, de
veritate nostræ opinionis nec quidquam decedet. Licet e-
nim concederemus, omnia hac de Virgine in Actis Lips. esse
verissima relata, aliquam tamen fraudem nihilominus sub-
esse, quæ vel ad minimum ex accidentibus concludi possit,
nemo negabit. Hæc porrò referendo tanquam leviora, in
effectu tamen maxima facillimè filia Parentes præterire po-
tuerunt. Sine dubio enim id fecerunt, ut de filia subleva-
tione solliciti medicamenta quædam propinaverint, quæ
quidem minimâ ut plurimum quantitate assumuntur, mi-
rum in modum tamen ejusmodi ægros reficere possunt,
dummodo interdum aliquid, etsi longo temporis interval-
lo ad sanguinem deferatur, cum & ipsi, licet parvam quan-
titem assumentorum alimentorum confiteantur, quæ sine
dubio major fuit. Quantum verò ad ultimum jejunii tem-
pus attinet, nempe XXXV. septimanas, ejus fraus eo fa-
cilius detegatur, dummodo in paragraphis præcedentibus
dicta hîc applicentur; cum prætereâ & ipse Medicus eam vi-
sitans se offendisse confiteatur, quoad carnes pinguem &
mollem, colore faciei rubicundo & naturali, & quoad reli-
qua homini sano simillimam.

§. XVI.

§. XVI. Hujus farinæ alia & innumera exempla adducere possemus, nisi fatius esset, ex multis potiora eligere, quam multis tædiosis observationibus, ex dictis antecedentibus tamen facile refutandis, Lectori melestiam creare.

§. XVII. An autem morbo quodam laboraverint, prodigiose abstinentes, si porro quærat? Cum distinctione respondendum esse censeo, prout nimirum habitus corporis abstinentium diversus recensetur. Quibus enim, ut puellæ Consolentanæ & aliarum §. VII & VIII. per abstinentiam recensita corporis accesserunt mala, in iis caterva morborum collecta non immerito dicitur, dum variæ intemperies, nutritio sive abolita, sive depravata, meatus pariter & cavitates vitiatæ, inde Ischuria utraqve & alvi suppressio, imò transpiratio deficiens, indeqve oriundi alii morbi ad interitum agentes sufficienti numero adfuerunt, aut in alium statum præternaturalem corpora translata sunt, quo toto corpori labes tanta §. VIII. indicata inducta est. Res omnis eo redibit, prodigiosè tales abstinentes non aliam obtinuerunt fortunam, quam qui abstinere coacti, & præ fame extincti leguntur, morti scilicet æque occubuerunt. Quibus autem habitus corporis per abstinentiam carnosus, pinguis & mollis, cum faciei rubore naturali conservatus, quæle quid de Virgine in Act. Lips. asseritur, nullo corporis morbo laborarunt, nisi parcè vivere morbus dici debeat, quæ tamen vitæ & secretiones & excretiones servantur, cum actiones suas obierint. Morbo tamen quodam, qui mentis dicitur, laborant, dum tali abstinentiâ animam suam peccatis contaminatam gerunt, à quibus omnibus bona mens omnino abhorret, & utitur iis rebus, quæ DEUS & natura ad vitam conservandam ordinarunt. Et quanquam per imposturam etiam prodigiosè abstinentes vitam servant, modus tamen est sanæ menti contrarius & peccaminosus. Sicque mens morbo detestabili contaminatur.

§. XVIII. Et ut diversus abstinentium status recen-
setur, ita pariter cura diversa sit, necesse est. Si in statu ta-
li, qui §. VIII. descriptus, reperiantur, abstinentia medelam
illudens dicenda, licet non putridâ, sed tantum tartareâ ma-
teriâ viscera obfessa sint, prout Qvercetanus & alii putant.
Præter id enim, quod Curatio sit difficillima, eam non ex-
pectant, sed morte præventi ipsimet testantur, lethalem fu-
isse hunc statum. Qui autem salvo carnosiore corporis ha-
bitu prodigiosè abstinent, cum firmissimum sit, non sine
fraude & mendaciis fieri id posse, tractandi sunt, ut reliqui
ex morbo mentis laborantes: rationes & demonstrationes
quidem optimæ, cum tamen ægrè hanc vitam relinquant,
metusve, ne diutius malitiam celent, præcedant blanditiæ,
eæque multæ, cum tales multæ astutiæ sint, hic scopus celan-
dus, ob quem quis abblanditur, quo eo felicius sub admira-
tionis & assistentiæ spe capiantur, *Dann wer die Vögel fang-
en wil / muß nicht gleich mit Knüppeln drein schmeissen.*
Astutia vinci debent, ac postea convicti, quod ex proposito
talia susceperint, rationibus ac demonstrationibus aliisve se-
verioribus modis castigentur, quo meliorem sibi commen-
datam vitam fervent. Sic feliciter restituuntur. Horum om-
nium testimonium luculentissimum præbet observatio
Velschii in superioribus pluribus adducta. Cæterum ratio-
ne diætæ si ipsis quicquam suadendum esset, in hoc consiste-
ret, ne ventriculum nimis obruerent cibus, sed sensim ac
sensim ad priorem edendi consuetudinem redeant. Ast tali
monito non indigent, quippe tum tristitiâ, tum pudore ali-
quo, tum iracundiâ turbata mens eos sat detinet, ne diætæ
mutatio nec subita, nec nimis peregrina sit, sed ut illa sensim
è mente excutiantur, ita sensim & ordine maximè conveni-
ente redeunt, nec ullis aliis opus remediis, cum non abstinu-
erint, sed parcè tantum, (si aliqua adfuerit sub imposturis
abstinentia) vixerint, & sic simul non cibus satiati potius stu-
duerint

duerint sanitati secundum Hippocratis monitum Lib. 6. epidem. com. IV. text. 22. Et licet id late ab iis extensum à quibusdam opinetur, errorem tamen non commiserit, si faciei rubor abstinentiam talem comitatus fuerit. Ex quibus patet, majori cautelâ opus esse, si iis præscribendum, ut ad priorem consuetudinem redire securè possint, qui abstinere coacti sub famelicis dentibus masticatos ex calceis, ocreis, caligis coriaceis, impuritatibus multis inquinatos coriaceos cibos ventriculo esurienti commendarunt, aut adhuc abstinentes, vitâ periclitantur. Quæ autem ut hic aliena non adducimus cum eo scopo eorum hîc meminisse sufficiat, quo imposturæ in prodigiosâ abstinentiâ pateant & illustrentur.

QVÆSTIO II.

An vel naturaliter, vel per morbum fieri possit, ut homo linguâ loquatur, quam nunquam didicit?

§. I.

ANsam ad hanc quæstionem, eamque curiosissimam resolvendam nobis dedit Is, quem jam supra nominavimus, quique sine æternâ nominis sui gloriâ nominari nunquam potest, Noribergæ pariter suæ, & universi orbis eruditi decus WAGENSEILIUS in Epistolâ ad Parentem meum p. 56. Narrat ibidem ex *Petri Borelli* Obs. Medico-Physicis, in Manso Afilii, quod Fuxensis, ad radices Pyrenæorum montium Comitatus, oppidum est, mulierem quandam, cum in morbum incidisset, omni illo tempore, quo cum eo conflictabatur, Hispanicè optimè locutam esse, licet illius lingvæ, antea, ut postea, ignara fuerit. *Eundem* insuper addere, civem quandam Rhotomagensem, cum in fomnis interrogaretur, omnibus linguis responsa dedisse, & adeò Græca quoque & Indica.

§. II. Jam prævideo quasi Lectorem attonitum, maximèque dubitantem de summè impossibili hac *Petri Borelli*

narratione: sed audiatur & *Olaus Borrichius*, Vir experientiâ pariter ac eruditione insignis. Is conspectui in Actis Medicis Hassniensibus Volum. V. Obs. LXVII. p. 162. subjicit historiam non minus recentiorem, quam admiratione multo majorem, quam mutatis verbis ad prolixitatem vitandam infero: puer 14. annorum, licet cum fratre natu minori eodem usus Præceptore, nihil adeò memoriæ imprimere, pauca loqui, gravatè auscultare potuit, integris tamen sensibus, judicioque, quantum ferebat ætas, non aspernando; illo altero interea pulchrè in studiis liberalibus provecto. Quid fit? Præter expectationem intempestâ nocte febris corripitur, delirare incipit, atque aliena loqui. Multis ac atrocibus interim symptomatibus mortem comminantibus excruciat, tertio mane loqui incipit sanissimo similis & promptius, quam unquam totâ vitâ, & eruditius: crederes Theologum ex arte de vanitate mundanorum differere. Emodulabatur sacras cantiones, quas nunquam memoriâ complexus fuit. Quin & Latine subindè loquebatur, & sine hæsitatione, cum triduo ante substantivum cum adjectivo, ceu loqui solemus, ex disciplinâ conjungere nescierit. Et hæc omnia prudenter, & sine ullo delirii vestigio. Donec deliriis revertentibus defatigato corpore ante noctem fatis concessit. Tantum Borrichius.

§. III. Non est, cur Historias hæc, licet captum nostrum superantes, in dubium vocemus, cum observationes sint non multorum seculorum, sed paucorum annorum, imprimis à Viris fide dignis exhibitæ. Sed si in causas inquirere velimus, quod tamen primarium erit, apparebit demum, quam arduum & difficile hîc sit, aliquid certi determinare. Cum tamen in magnis & voluisse sat sit, mentem meam eo majori fiducia explicabo.

§ IV. Quod igitur naturaliter vel per morbum fieri possit, ut homo linguâ loquatur, quam nunquam didicit, affirmare

firmare nequaquam auderem. Sunt quidem, qui instinctui naturæ linguas tribuunt, existimando, infantes in solitudine quædam absque ullis sermonibus educatos, hac vel illâ linguâ sponte locuturos esse, eumque in finem multa allegare solent exempla. Sed dum Ægyptii antiquitatis prærogativam amiserunt, Phrygibus eam reportantibus, cum Regis regni Psameticus curiositate sine omni vocis alicujus auditu infantuli educati sunt, qui fabulari incipientes ambo vocem *Becb* panem designantem, Phrygibus communem, protulerunt. Et quæquam è contrario infans eadem ratione educatus, qui nullam antea vocem exaudiverat, in ætate proveciori binas voces hebraicas, lechem, panem, & jain, vinum sonantes protulisse feratur, ita probabilior tamen opinio est, tales educatos infantes nullam linguam formaturos esse (ut id in surdis simul mutis observamus, quibus clamorem edere quidem vis est, non autem loqui inaudita,) vel talem pronuntiaturus, quæ à nullo mortalium intelligi posset. Ab omnibus enim præjudiciis liberi sensationes explicabunt suas, ex conceptu simplici, quem sibi formarunt: id affirmatur de duobus pueris Holmiæ Suecorum educatis, qui insolitam aliisque prorsus incognitam linguam efformasse dicuntur. Pluribus id legi potest in Epistolâ celeberrimi *Valentini* ad Dn. Patinum datâ Eph. Germ. dec. III. An. 1. p. 146. Hinc an per morbum illud accidere queat, altioris indaginis quæstio est, nec facile determinabitur, & vix res ritè decidetur, nisi prius probè pensetur, quâ ratione linguæ, quæcunque fuerint, etiam connatæ dictæ, addiscantur.

§. V. Ad cerebrum res omnes deferri, quæ in sensus incurrunt, extrâ omnem dubitationis aleam positum est, partim, cum ibi nervorum principia vestigiorum formandorum loca reperiantur, partim cum spiritus animales hisce motibus & formandis cogitationibus inservientes & secretionem & promptuarium habeant, sic utrumque in eo reperitur

peritur instrumentum, tum quod agit, tum quod patitur. Utraque cerebri textura, ex quâ utrumque natales habet, ad miraculum exstructa, cortex, qui exteriorem occupat partem, minimarum glandularum in albas nervorum radices definentium, congeries est, quæ ita adaptatæ, ut exterior superficies harum formatâ congerie figuram ovalem cum intermediis spatiis plurimis ferè æqualibus habeant. Vid. *Malpigh. de Cerebr. cap. 1.* Hæcque variæ magnitudinis coagmentata vasa incomprehensibilis tenuitatis reperiuntur, adeò, ut teste *Lewenbæki*, si unicum arenæ granum in 64000000. particulas divideretur, nulla tamen illarum horum vasculorum cavum subingredi posset: vid. ejus *Epist. II. p. m. 48.* Hanc exteriorem excipit interius fibra alba, nervea, ita efformata, ut ex multiplicium fibrarum connexu ac fasciculo alba medullaris, altera cerebri substantia emergat: autor est *Malpigh. cap. 1. de Cerebro*, quæ *Fracassato* velut filis mutuò nexis grandis spongia visa, quarum fibrillarum aliæ aliis adeò proximè apponuntur, ubi nullæ ipsis inferuntur glandulæ, ut nullum inter eas intercedat sensile spatium, sed continuum constituentes corpus eo modo componant, quo baculi fibrillæ interiores ab invicem quidem separabiles, continuum tamen alterum corpus, scilicet baculum componunt: vid. *Vieussens Nervograph. Lib. I. Cap. 10.* Cui quoque suffragatur curiosus *Lewenhoek*, qui fibras has vasa esse unam centesimam partem pili crassitie circiter adæquantia, humorem crystallinum vehentia, reticulariter sibi innexa scribit. Hæ medulares fibræ è binorum hæmisphæriorum cerebri cinereâ substantiâ emergentes totam ferè ventriculorum efformant cameram, in cujus cavitate plexus *Choroides* reperibiles, & à posticâ ventriculorum regione ad duplicem fornix radicem exporrecti suprâ glandulam pinealem, per duas radices medullares insignes parti subjectæ affixam, velutque supra fibulam suspensam, in debitâ expansione

con-

continentur: vid. *Willis de Cerebr. c. 2. & 14.* Et dum totidem fibrillæ medullares efformant tubulos, postquam è vertebris egressæ, multis propaginibus omnis corporis partibus prospiciunt. Has igitur nervorum fibras omnes & singulas, tum in cerebro, tum aliis partibus tensas servant spiritus animales, quibus ab objecto proportionato motus cerebro inferuntur, & pro diversitate objecti, ac diversâ nervorum motus modificatione, diversæ rerum ideæ, quas sensus vocamus, in mente excitantur.

§. VI. Quando igitur cujuscunqve linguæ vocabula, vel elocutione Præceptoris cujusdam auribus, vel propriâ lectione oculis recepta, per nervos ope spirituum animalium ad cerebrum deferuntur, in eodem pro vario ipsis, à variè modificato aëre, si per auditum fiat, vel variè incidentibus radiis luminis, si per visum, inducto motu, tenerrimæ texturæ cerebri filamenta affecta, vel solitario, vel quatenus reticulare sunt corpus, vel singulæ, vel plures fibræ aut obiter, aut profunde plicantur, variæ inde fiunt plicæ, aut sulci, aut figuræ variæ, aut molis pori, sive vestigia, ceu totidem characteres, quæ menti sic sistuntur, ac vestigium rei, v. g. vocabuli prolati relinquunt, cum eâ, quam in spiritibus animalibus excitant, radiatione, ut in mente non tantum ideæ fiant, sed & pro diversâ profundâ plicâ resuscitari, mentiqve repræsentari possint, imprimis, si hisce jungatur judicium, ut circa id oblatum occupetur mens, & ratiocinando ac judicando spirituum radiatione vestigium cerebro altius imprimat, ob plicam & majorem & faciliorem res facilius menti sistitur, & recordatio ejus felicius succedit. Quando itaque à nobis exigitur, ut illa præterito tempore vel audita, vel lecta iterum proferamus, suo conario mens, pro suâ imperii vi, nutat, ac jam in hæc, jam alia spiritus radiare facit vestigia, eaqve sic relegit, donec desiderata aperiantur, sicq; menti præterita tanquam præsentia sistantur, juxta data illa
D
judicat,

judicat, de iis ratiocinatur, cumque intelligat, non primâ vice vestigia hanc ipsi præsentem cogitationem dedisse, tum eorum v. g. vocabulorum fit recordatio, tum quâ ratione ea pronuncianda sint.

§. VII. Quam difficile autem sit, linguam aliquam peregrinam tali modo memoriæ commendare, ex quotidiana experientiâ facillè judicari potest. Nam optimè quidem vocabula linguarum, eorumque pronunciationes primâ vice possunt menti repræsentari per vestigia cerebro impressa, minimè tamen primâ statim auditione tam altè illa vestigia imprimi possunt, quin facili negotio iterum obliuerentur, imprimis si cerebrum vel sit nimis humidum, vel nimis siccum. Dicta probabit memoriæ in diversis hominibus diversa felicitas. Pueris enim felicissima quidem memoria est, ast cum illâ labe, ut citò, quæ didicerunt, obliuiscantur. Eadem enim facilitate, ac in argillâ nimis humidâ calcantium vestigia obliuerantur. Quod autem hisce facillè captu, id aliis difficilius est, si scilicet cerebro magna adsit siccitas, difficilius & vestigia imprimantur, diutius tamen remanent, ac recordatio faciliior; sic non constans omnibus memoriæ felicitas est, nisi iteratis vicibus vel audiantur res desideratæ, vel legantur, sicque plicæ sæpius revolvendo profundius intrudantur.

§. VIII. Non defuere quidem passim Magistri ejusmodi linguarum, qui intra spatium paucarum septimanarum linguæ cujuscunque plenariam cognitionem unicuique communicare promiserunt. Sed in fine infelici defraudatores istos semper atque meritò derisos legimus. Manifestissimum exemplum suppeditabo ex sæpius jam laudatâ Ep. WAGENSEILIANA p. 58. descriptum. Narratur ibidem: venisse ante aliquot annos Noribergam hominem Gallum, qui se Barby vocaverit. Eundem in cœtu hominum gloriatum fuisse, in Italiâ tam faventes se habuisse Divos, ut in
senis

senis alicujus amicitiam penitissimè se infereret, atq; hunc morientem, hæredem se reliquisse ingentis thesauri, Attalici gazis longè præferendi, arcani nimirum, cujus beneficio quamque linguam intra mensem unum neminem non edocere possit. Præter Gallicam & Italicam linguas alterius peritiam se quidem non habere; nihil tamen id ob stare, quo minus omnes linguas edocere queat. Dedit ergò certatim informandos, mercedem summam, & quidem in antecessum persolventes. Sed omnem artem ejus quatuor tabulas, non nisi initiatis scilicet monstrandas, quæ nominum & verborum inflexiones utcunque complexæ fuerint, absolvisse. Ut parum abfuerit, quin talis evaserit Schola illius, qualis eorum apud Petronium Arbitrum, in quibus homines facti stultissimi. *Hac ex Wagenheilio.* Sed licet daretur homo, qui felicissimo instructus ingenio, vel spatio unius septimanæ difficillimam linguam addiscere posset, (licet nec hoc concedamus) tamen planè aliter res sese habet cum istis, de quibus ex proposito nobis sermo instituendus est, qui non per horam, nedum per septimanas linguas suas tractarunt, sed subito eas edocti facti sunt.

§. IX. Aliam hujus rei rationem dare nequeo, cum naturaliter fieri non posse per argumenta superius adducta plenissime persuasus sum, quam partim supernaturalem Divinam gratiam in quibusdam, primâ Ecclesiæ ætate, qui & Apostolos alio, quam didicerant, sermone, loqui fecit, ut in Actis ipsorum legimus, partim ipsam agitationem à Dæmonio in aliis, cum naturaliter fieri non possit, ut talium rerum recordari possimus, quæ nunquam nobis in mentem venerunt. Licet enim spiritus longè latèque per cerebrum oberrarent, nunquam tamen isti plicas vel vestigia ita impressa aperire & revolvere possent, quæ menti connexionem ejusmodi verborum & phrasium certæ ignotæ linguæ proponere, & ob oculos quasi sistere possent, cum nunquam talia vestigia

cerebro isti impressa fuerint, nec furdis possibile, ut superius dictum, aliquantulum inauditi proferre.

§. X. De priore, cum res ex Sacris certa sit, nil restat dicendum. De posteriori, ut omnia clariora fiant, aliquid nobis subjiciendum est. Et quidem *Janus Huardus*, Medicus Hispanus, in ingeniosissimo libro, cui titulum præfixit: *Scrutinium ingeniorum pro iis, qui excellere cupiunt*, interprete Æschacio Majore Dobreborano, c. VII. p. 176. seqq. probare omnibus modis satagit, has ignotarum linguarum loquelas non ex superiore principio, sed per naturam fieri. Ita enim differit: agnovisse in animâ humanâ jam olim *θεός η* Aristotelem & Hipp. & Ciceronem, quod sese exserat, quando vel casu aliquo, vel Divinâ qualibet dispositione impedire ita ex animo removeantur, quæ antea talem virtutem sint remorata, Ingenia quædam ita comparata esse, ut inveniendis linguis sint ex temperamento suo accommodata, adeo, ut illicò Latinam linguam sibi obviam habeant, atque ejus vocabula etiam citra deliberationem ac propositum incurrant. Quod inde pateat, quia sæpè duo rem unam eodem modo inveniant, & si alius præter Adamum in principio mundi sapientiâ ipsi similis fuisset, tum eundem eadem nomina animalibus, ac ipse fecit, inditurum fuisse, quia non alia ipsis tribuere potuisset, quam qualia natura ipsorum requirebat. Ut autem natura animalis cujuslibet, sit una, ita & nomen. Eodem modo & phreneticum aliquem concurrere cum Latinâ linguâ posse, eamque loqui, licet nunquam per sanæ mentis tempus cognitam, quia temperamento cerebri naturali ob morbum quasi loco moto, atque immutato, fieri possit, ut hujusmodi aliquod temperamentum lapsu temporis ei succedat, quale ipse ille Latinæ linguæ primus inventor obtinebat. Quare & eandem posse fingere vocabula, quæ ille finxerat. Ab iis igitur tantum hæc talia pro DEI Dæmonisquæ operibus haberi, qui ipsi causas rerum

rerum naturales nec sciant, nec intelligant. *Ita ille.* Verum enimverò, hæc infirmis inniti fulcris quilibet statim legendo animadvertit, adeò, ut ipse Huartus tandem ad hyperphysicam in his virtutem confugiat. Nobis operosioribus hic esse non licet, imprimis, cum Huarti rationes singulas ex instituto examinaverit doctissimus Vir, *D. Henr. Henckelius, in ordine & methodo curandi Energumenos, p. 119. f.*

§. XI. In exemplo Danico, de quo iudicium suum diffimulat Borrichius, nihil excessisse dixerim naturam. Erat puer ille haud aliter, ac frater ipsius informatus, quæcunque in paroxysmo loquebatur, audiverat antea. Quod, dum sanus erat, iudicio suo discernere, & ore promptè eloqui non poterat, obstaculo potuit esse vel cerebrum, vel quod sua cogitata ad alia occurrentia objecta exseruerit, & si eorum vestigiis menti semper præsentibus, alia capere haud potuerit, hinc circa familiaria magis occupatus ad peregrina non attendit, donec morbo correptus, & ejus vehementiâ extrâ se rapta mens altius ea considerat, quorum vestigia menti vividius repræsentantur, sicque ad ea, quæ extrâ sunt, non attendet, spiritus aberrantes per cerebrum eas vestigiorum reliquias aperuerunt, quæ antea latitarunt, mens de iis iudicando, suumque iudicium & gestibus & loquelâ prodeundo id excitavit, ut in adspicientibus tanto major facta admiratio sit, quanto magis causa eos latuerit.

§. XII. Manifestum hoc faciam aliquot, quæ mihi Huartus suppeditat, exemplis. Lodoicus Lojecius, fatuus in Hispaniâ aulicus, quamdiu valebat, operationibus intellectus destitutus esse deprehendebatur. Incidens in febrim malignam medio in morbo illico in tantum iudicii ac discretionis acumen ascendit, ut in admirationem universam aulam raperet. Quo in statu & finiit vitam. Rusticum quendam se præfente Huartus testatur, quum factus esset phreneticus, salutem conjugis liberorumque adstantibus com-

mendasse, tantis ornamentis Rhetoricis, tantâ elegantiâ, ac selectissimâ verborum puritate, ut Cicero ad Senatum majoris gratiæ orationem habere non potuerit, qui, cum esset integræ mentis, ne loqui quidem novisset. *Causam rogatus Huartus hanc edisseruit: quando cerebro primi gradus calor obtingit, homo inde fit eloquens, cui multis in rebus ipsi se verba sponte offerunt, quæ eo pertinent. Ita taciturni omnes frigidi cerebri, ac loquaces calidi sunt.* Cujus tamen non causa, sed exemplum tantum placet. Non possum, quin & tertium adjiciam, cæteris omnibus memorabilius exemplum. Satrapæ cujusdam pedissequus, maniâ laborans, cum sanus existens habitus esset pauci ingenii, ac rudioris intellectus puer, tantâ loquebatur cum gratiâ, tam aptè & prudenter ad interrogata respondebat, tam acuta atque ingeniosa edebat theoremata, ac regulas pro administrando regno, cujus ipse Dominum se esse arbitrabatur, ut prodigii instar videndi, audiendiqve ejus causâ conciones confluerent. Herus, cui inserviebat, à cervicali ipsius non discedebat, rogabatqve DEum enixè, ne mentis ipsi restitueret sanitatem. Restitutus tamen est à Medico, sed heri ingratis, qui iniquum esse existimabat, *illam usq; adèd sapientem insaniam in istam tam torpentem ac stupidam mentis integritatem, quâ sanus laboraret puer, convertendam fuisse.* Videri enim Medicum ex sapiente atque ingenioso stolidum brutumqve reddidisse. Ipse servus conquerebatur, quod ex Monarchâ minister factus esset. Licet enim, inquebat, persuasio mea mendax vanaqve fuerit, nihilominus, quid mea id intererat, quoniam eandem inde delectationem hauriebam, ac si rei veritate talis extitisssem.

§. XIII. In Borellianis verò, aliisque, quæ alii magno numero collegerunt, exemplis, confidenter dico, dæmonis intercessisse operam, cui mille artifici talia permittere DEum, gravissimis quidem, sed nobis non semper cognitis relationio-

lationibus, inductur., infinita exempla confirmant. In quibus ipsis nonnunquam ejus rei haud obscura se indicia produ-
dunt. Exemplum recensetur in Actis Medicis Hassnien-
sibus An. M DC LXXIII. Vol. II. p. II. Verba hæc sunt: *ha-*
bemus heic inter præsidarios milites adolescentem annorum
XVIII. circiter; hic nullum ferè articulatam eloquitur verbam,
quod intelligi queat, & si quid interdum exprimat, cuilibet in
eà re respondet lingua, quâ ipsum alloquitur quis, sive Gallica,
sive Latina sit vel etiam alia. Ante biennium Diabolo per sche-
dam, proprio suo sanguine scriptam, ad IV. annos mancipasse
se colligitur. Adjungitur ibidem: Comitem Jacobum Zaba-
rellam Patavii dubitasse de Melancholico obsesso; sed rusticum ta-
lens de æternitate mundi differentem secum offendisse & cælo-
rum motu, & integram ex Timæo paginam memoriter recitasse.
Cui subjicit Bartholinus judicium suum: *Magna hæc indicia,*
quando sine fuco adsunt, genii superioris censenda. Genius
hic naturâ superior Dæmon est, cum bonus genius de æter-
nitate mundi, Sacris Scripturis adversâ differere non possit.
Tale exemplum & *Mich. Psellus* seculi XI. Scriptor, libello à
Dan. Hasenmüllero nuper recuso, de operatione Dæmonum,
enarrat de muliere, quæ aliquando, ait p. 100. *puerperio egrotâ*
decumbens supra modum delirabat, vestemq; discindens barba-
rum nescio quem sermonem versatili lingua immurmurabat,
quem cum primum non intelligerent, adducto homine Ar-
menio, Armenium esse intellexerunt. Nos autem, pergit
Collocutor, *obstupecebamus, non eò, quia furore correpta es-*
set, hoc enim ei subinde accidere videbamus, sed quia sermone
Armenio loqueretur mulier, quæ ne in conspectum quidem Ar-
meniorum venisset unquam, quæq; præter thalamum & colum-
scires nihil. Interrogata verò, unde hoc ei contingeret, re-
spondit, Diabolicum phasma, sive spectrum à se visum esse,
umbratile id quidem, & fæminæ affimile. Unde Psello di-
sputandi occasio, an dæmones etiam dentur quoad sexum
sterius,

fæmellæ, & quâ linguâ loquuntur, concluditque quoad posterius, sermonem peculiarem dæmonibus inveniri nullum posse, sive Hebraicum quis dixerit, sive Græcum, sive Syriacum, sive barbarum alium quemvis.

§. XIV. Quod ad reliqua, quæ passim circumferuntur, exempla spectat, plurima meras in se fraudes & deceptiones continent, quæ à Viris circumspectis & prudentibus subinde aut fuerunt facto ipso detectæ, aut animadverti, si accuratam adhibuissent operam, facili negotio potuissent. Memorabilem eam in rem historiam recenset *Jac. Aug. Thuanus*, principio Lib. CXXIII. p. 883. An 1599, de quodam Agyptiâ, *Jac. Broffiero*, filiam suam, obsessionem Satanicam simulantem, circumducente, ut pecuniam ex illo artificio lucrari posset. Narratur fasè, quid circa eam actum fuerit in Monasterio St. Genoves inter Monachos Cappucinos & Medicos Regios, Parisiis evocatos, illis veram obsessionem, ut exorcisationibus suis auctoritatem conciliarent, his ex artis suæ regulis ementitam obsessionis simulationem, defendentibus. Et quanquam Monachi objecerint Medicis ignoti quoque sermonis in Brofferiâ vel loquelam, vel intellectum, tamen id inde facile diluebant Medici, quod mulier antea aliquoties negavisset, se aliâ præter Gallicam, linguâ loqui posse, nec probari posset, Græcè, Angliceque loquentes illam unquam intellexisse, aut si intellexisset, facile fieri potuerit, ut ab aliis antea fuerit informata. Unde & totum illud spectaculum tandem evanuit confessione Samaritani se desertum videntis, quod tanti antea rumoris materia fuit. Idem de plurimis aliis judicandum esse ex hoc facile colligitur.

§. XV. Igitur, ut summam judicium meum de ejusmodi exemplis complectar, (1) nonnulla eorum planè sunt supposititia, falsa, deceptoria, ementita: (2) in aliis nihil est, quod naturæ vires, si rectè inspiciantur & dijudicentur,

tur, transcendat: (3) Quædam superius humanis viribus principium, reliqua omnia (quia à Theologis revelationes immediatas hodiè cessasse edocemur) Diabolicum agnoscunt. Quod non tantum Theologi, (videatur è Pontificiis *Delrio* Lib. IV. Disq. Mag. C. II. Q. 6. Sect. I. p. 425. & è nostris *D. Dannhauerus* in dem *Scheid- und Absags-Brieff*/ p. 126. Ubi & *Phil. Melanth.* & *Fr. Balduinus* eam in rem allegantur) sed & Medici nostri (vid. apud *Henckelium Fernelius* & *Codrondrius*, apud *Thuanum Riverius*, *Lafilaus*, *Faber*, *Marescotus*, *Ellanius*, *Albinus*, *Lussonus*, *Petreius*, *Renardus*, *Herwardus*, *Lusnotus*, *Ambrosius*, *Dulmarius*, *Marcesius*) confitentur, & *omnis sanior Christiana Philosophia*, ut ait *Hier. Jordanus*, Medicus *Gœtingensis*, libro de eo, quod Divinum aut supernaturale est in morbis humani corporis, C. XXII. p. 86.

§. XVI. Quod verò *Hier. Cardanus*, & cum eo *Erasmus* vermibus tribuunt, quod *Italus* quidam *Germanorum* linguâ, quam nunquam didicerat, pulchrè fuerit locutus, de eo sic judicat, p. 131. *Henckelius*: *verendum esse, ne dum talia hominibus persuadere satagerunt, cerebri vermiculatione laboraverint ipsi.*

§. XVII. Quod deniq; vitium tamen non removebitur, cum *Diabolum* purgantia in pharmaceuticis non habeamus. Nec aliquid de iis remediis dæmonibus adversantibus sperandum, quæ recenset *Leonardo Vairo Beneventano* in suo libro de *Fascino*, *Venetis* edito, quorum primum est herba *Sanctæ crucis*, quam vulgò *Tabacum* appellant. De ejus fumo nihil speramus, quicquid etiam superstitiosi *Indi* per sacerdotem fumum per os & nares cannulis admittentem, sicque somniantem instituant. Inebriatus enim *tabaco*, si quis illi inconsuetus fuerit, æque mira ac stupenda delirabit; sed quid inde auxilii, aut qualis probatio, hanc herbam adversari dæmonibus? Quod & de *Solano manico* factum

E

factum

factum, *Matthiol. in Dioscorid.* p. 724. part. II. & alii referunt. *Plin.* Lib. XXIV. c. 7. & *Josephus* de bello Judaico Lib. VII. c. 25. meminerunt herbæ *Aglaophotis*, sive *Baare*, celebris flammæ, quod colorem & circa vesperam velut jubar fulguret, & quæ alia fabulosa de eâ recentur; inter quæ etiam est, quod evellere cupientibus refugiat, nec maneat, nisi adpersâ urinâ muliebri, vel menstruo sanguine, hacq; herba magos uti referunt, cum DEos invocare, aut ut *Josephus* scribit, Dæmonia pessimorum hominum spiritus vivis immerfa, eosque necantia citò abigi velint, modo ægrotantibus admoveatur. Citatus *Plinius* ad id etiam convenire asserit *Archimidem* colore electri radicem, natam in *Tardaestillis* *India* sine folio, cujus infusum vino factum valdè laudatur, vid. de *Fascino*. p. 184. c. 13. Sed quicquid adferant, ea non sufficiunt, nisi jungatur superstitio, quâ sola superstitiosa perficiuntur, à quibus omni jure quilibet abhorret. Nec eorum calculo nostrum addimus, qui medicamentis antimelancholicis rem perfici posse sibi persuadent, licet observatum velint, malum cacodæmonem, si ipsi à DEO concessum fuerit, præ aliis ut plurimum eligere Melancholicos, sive sanguine crasso & acido austero præditos. Sed si observationes probè inspiciamus, apparebit, nisi plures, ad minimum tot observari sanguineos obsessos, ac Melancholicos. Ut hinc nec illud procedat, quando putant: si itaque temperamentum illud Melancholicum mutetur in sanguineum per medicamenta præscripta antimelancholica, necesse esse, ut malum cedat, dum ipsi Diabolo materia adempta esset, quâ maxime delectetur, & perquam potissimum agere possit. At verò, si hoc certum, uti verissimum est, & observationes probant, quod Diabolus & in reliqua sic dicta temperamenta agat, sive sit pituitosum, sive sanguinum, sive Cholericum, perinde ipsi erit, an propinentur talia medicamenta, an verò omittantur, cum in aliquod aliud temperamentum sanguinem

guinem mutare debeant. Hinc & pariter observatur apud sæpius nominatum Henckelium, quod omnia medicamenta Diabolo sint ludibrio, & semper ferè post eadem exhibita exagitationes ipse reddat crudeliores. Ut ita parum præstare hæc medicamina videamus, nisi talia eum in finem propinentur, ut ægrum reficiant, & debilitatum ipsius corpus aliquo modo refocillent. Non tamen ideò putandum, temperamentum tale planè relinquendum esse, præstat potius, si possit, ut medicamenti destruat, & sic levamen ægro ad minimum ab alterâ parte adferatur. Alia adhuc cura in medium proferri solet, nempe per incantationes, quæ verò cum à Christiano homine non sit admittenda, meritò eam rejicimus. Nihil itaque superest, quam invocatio Divini Numinis, quæ quomodo instituenda sit nostrum non erit decidere, attendentes illud: Ne sutor ultra crepidam.

QVÆSTIO III.

*Quid de Nadrugalâ radice, medicamine adversus
Podagram sentiendum?*

§. I.

CUm machina hæc corporis nostri hydraulico pneumatica ità comparata sit, ut levi saltem quandoque commisso errore dispositio partium tantoperè vitiari possit, quæ nullis medicaminibus, nullâ adhibitâ operâ, nulloque tempore in pristinum statum restitui potest, non mirari debemus, unde tot morbi immedicabiles, qui omnem Medici operam eludunt, ægrosque ad mortem usque commitantur, qualis Hydrops & Quartana. Omnium verò frequentissimus est morbus talis **PODAGRA**, quæ omni jure Doctorum plaga appellari posset. Vix quippe Academia, vix civitas quæque Viris suis doctis illustris invenietur, quin simul adsint vel Doctores, vel Ecclesiæ Ministri, vel alii

literis incumbentes Podagrici, nec tamen è mille unus de se gloriari poterit, quod infensissimum hunc studiorum hostem, Podagram puta, medicamentis proffigaverit.

§. II. Hæc mecum reputanti, variosq; de curiosis Podagricorum symptomatibus Scriptores perlustranti occurrit observatio rarissima, quam sæpè laudatus D. WAGENSELIUS in Hydraspide suâ p. 17, seqq. verbis recenset: *Vir in Regiâ urbe Hungariæ (sc. Posonii) donavit me NADRUGALA radice, præsentissimo, novog; adversus immedicabiles, ceu hætenus creditum est, Podagræ dolores, remedio, & cuius ipse non sine Numine compos factus erat. Testabatur, certis nunciis ad se perlatum, Sarmatiæ quendam accolam, omnibus membris ita extortum, squalidum ac egrum jacuisse, ut ne in lectulo quidem, nisi ab aliis moveretur. Adhibuit ipse Medicinam, quod fit, epotando lac, in quo probè contusa radix ad dimidias percoquitur, atq; tum in soporem prolapsus, per universas 48. horas jacuit ut caudex & stipes, nullo alio indicio, præterquam solo anhelitu, vivere se declarans. Cum deniq; evigilasset, non credebat, se eundem esse, itâ omnino agrimonia se expertem sentiebat, unde è strato surgens, Amicos & Necessarios quantumcunq; accire jubet, quid de se factum sit, attonitis ac pane stupentibus præloquitur, convivium parat, & cum in cœnâ se invitasset plusculum, in multam noctem saltat, tripudiatq;. Hæc Vir summus.*

§. III. Quid unquam gratius Podagricis accidere posset, quam, ut hæc Nadrugala Germaniæ nostræ procuraretur, quâ tam facili negotio acerbissimi hi dolores secundum ipsius artis requisita, nempe citò, tutò & jucundè possent proffigari, nonnisi per soporem nullas molestias parientem. Possent hæc esse solatium illud, quod omnes Medici tam diu in votis habuerunt. Sed nec ipsa radix Nadrugala nobis deficit, non tantum, quod ex Italiâ afferatur, sed etiam, quod in quibusdam hortis Germaniæ fata reperitur, effectus autem tam exoptatus, tamqve mirificus desideratur

tur maximè. Ante omnia hinc in radicis hujus nomen, effectumque & usum inquirendum erit, quod factu fermè perdifficile erit. Evolvamus enim tum ex antiquioribus *Dioscoridem, Dodoneum, & reliquos*, tum ex recentioribus optimos quosque, *Raji Historiam plantarum, Hortum Eystetensem*, imo *Hortum Malabaricum Indicum* alias prolixissimum, nullibi tamen radicis hujus Nadrugalæ mentionem invenimus. Hæc dum meditor, perlegenti mihi Indicem nominum plantarum multilingvem *D. Christiani Mentzelii* occurrit forte fortuna nomen NATRAGULYÆ, quod, ait, vocabulum Hungaricum, Latinèque dici MANDRAGORAM, Germ. *Utraun*: effectum verò radicis hujus seqq. annectit, *ad amatoria valere dicitur, bilem atram & pituitam per vomitum extrahit, menses pellit, somnum inducit, inflammationes oculorum, strumas, ignes sacros, arthritides sanat.*

§. IV. Videtur quidem Mandragora alia à Nadrugalâ esse radix, dum ad amatoria non tantum valere, sed & vomitiones excitasse dicitur, ut præter Mentzelium de Mandragorâ refert *Dioscorides* s. operibus, Part. II. p. 422. Sed si rem paulò curatius consideremus, omnium calculo tantum ad amatoria valere creditur radix, quia à Circe Venefica, & procurandi amoris artifice adhibita creditur: hinc Circeam quoque vocari, ex Botanographis edocemur, vid. Hoffm. Clav. in Pharm. Schrœd. p. 499. Quod autem vomitiones faciat, de hac & aliis attributis virtutibus scribit *Dodonaus*, præter narcoticam vim omnes reliquas virtutes ipsi improprias esse, vid. cit. Autor Lib. IV. hist. herb. p. 364. cui suffragatur *Matthiolus* in *Dioscoridem*, egregius commentator, Part. II. p. 425. qui eas prorsus reticet, nonnisi vim narcoticam, soporiferam, reperibilem referens. Hisce autem neutiquam *Dioscoridis* experientiam dubiam reddimus, cum sæpè effectus medicaminis sequatur inopinatus. Vis opii sedativa omnibus constat, quo alvi fluxus varii fi-

E 3

stuntur,

fluntur, hicque effectus tam certus esse solet, ut etiam prædici possit, patitur nihilominus quandoque exceptionem, & alvus pertinaciter adstricta ex laudani opiatu usu solvitur, quæ quid in Virgine quadam nobili Colicâ convulsivâ laborante Magnificus Dominus Præses observavit. Pariter cortices granatorum maximum alias adstringens, aliquando salutare Emmenagogum in mensium pertinacissimâ suppressione fuisse, observationibus legimus. Et ipsum vehiculum, seu quo propinatur medicamentum sæpe mutat & inducit effectum contrarium, sic Vomitorii promptissima semper vis est, Tartari Emetici gr. iij abundè sufficiunt, nisi vel acido austerum sit in corpore, hinc nec gr. IV, nec plura hypochondriacum movent, vel loco vini acidiusculi Hispanicum vinum vehiculum sit, ut nec infusum vitri ð ij Hispanico factum plus valeat. Idem nobis indicat *Dioscorides*, cum vomitiones Mandragorâ inductas recenset, dum succum ex mulso potum id effecisse refert, vid. cit. loc. p. 422, cum in quibusdam solum mulsum ad vomitiones sufficiat. Sunt enim duo sensuum modi, quibus insigniter corpora nostra alterantur, Sapor & Gustus, vicinitatis onere juncti, ad quos tum nauseosos, tum adversos effectus insperati sequuntur, & sic quoque robustæ naturæ Fœmina quædam purgans dum alteri porrigit, sub olfaciando vehementissimè purgatur, altera, dum & ætate & viribus minor, nequidem mutationem persentiscit: ut id nuper notavit M. D. Præses. Hæc omnia tamen sunt ad ea referenda, quæ tantum quandoque contingunt, & ut his medicaminibus, sic & Mandragoræ vomitiones vim addunt accidentariam, secundum quæ tamen vires metiri nequeunt. Et quanquam semper usum Mandragoræ sequantur vomitiones, inde tamen res non invertetur, non esse Nadrugalam, cum probationis sat sit, quod in eo omnes consentiant Scriptores Medici, quod sit Narcotica, soporemque conciliet, imprimis cum & ipsum opium,

opium, in cuius classe & Mandragora reperitur, subinde vomitum procuret, & post ejus vespertinum usum vomitus matutinus, & simul interdum alvi fluxus sequatur, teste *Helmontio* Tr. Duumviratus §. 62. *Rolfinck* Chym. Libr. IV. p. 248. & Exc. *Wedelii* Opiologiâ Lib. II. S. I. Cap. 5. p. 92. Id quod & semper notavit M. D. Præses in Matronâ quadam honestâ, quæ, quoties vesperi opiatas pilulis uteretur, toties altero mane post exoptatum somnum bis vel ter evomebat. Et quanquam vomitiones in hocce ægro à Wagenfeilio non adductæ sint, simul notum esse debet, non semper illas ad usum opiatorum, sic nec mandragoræ sequi, imprimis, si lacte, paratum decoctum exhibeatur, quo vel solo vis exhibiti Emetici cohiberi potest. Et quis novit, an post absolutum soporis tempus in recensito ægro Hungaro vomitus secutus sit? Sive id jam factum sit, sive non, id sufficere potest, quod effectus comprobet clarissimè, hancce Mandragoram esse Wagenfeilii Nadrugalam, quæ à nostris Botanicis paucis saltim mutatis literis scribatur Natragulya. Et quanquam de hoc certi non sumus, an Hungari Natragulyam hanc pronuncient, ut Natragulam y omittendo, hoc tamen in ipsâ Germanicâ nostrâ lingvâ experimur, ubi sæpius unius herbæ varia notantur nomina, quoad literas saltem diversa. Imprimis cum celeberrimo Wagenfeilio id contigerit Pisonii, sede Regis Hungariæ, qui sine dubio taliter nomen inauditæ, ut ipse profiteatur, hujus radicis annotavit, qualiter pronunciatum audivit à Viro prædicto: quam facilè verò fieri possit, ut literæ tales transponantur, præsertim cum aliter nomina scribantur, aliter legantur, & communi usu pronuncientur, quilibet facilè judicare potest.

§. V. Assertionem hanc meam clarissimè videtur comprobare effectus, de hoc Wagenfeilius: epotabat lac, in quo probè contusa radix ad dimidias percoquitur, atque tum in soporem prolapsus per universas 48. horas jacuit, ut caudex

dex & stipes. Hic ordinarius Narcoticorum solet esse effectus, ut ægri ad ea assumpta incidant in somnum profundum. Accedit, quod antiquis hæc jam fuerit cognita, dum *Aetius*, Medicus Græcus, sermonum Medicinæ primo p. 146. mandragoræ vim soporatoriam tribuit; & *Hippocrates* eam p. 340. contra spasmodum & convulsiones commendavit, in quorum priori dolor consistit, & posterius priori facillè jungitur, teste experientiâ. Podagrigenim sæpius & asthma te convulsivo afficiuntur, & convulsionibus moriuntur.

§. VI. Bacciferæ hujus herbæ radix, quæ vel candidans, vel alba mas, vel foris nigricans & intus albida foemina dici solet, utraqve in calidis regionibus sylvestris, in Germaniâ verò variis in locis hortensis reperitur, quæ integra bifida, subindè trifida esse solet, porrò prægrandis, imprimis adulta si fuerit, quâ figurâ hominis partes inferiores quadantenus, aut ipsam humanam effigiem referre dicitur & videtur. Ex primâ hinc cognitione radix ad superstitionem ansam dedit, quippè *Plinius* Lib. XXV. Nat. Hist. Cap. 13. refert, quod caveant effossuri contrarium ventum, & tribus circulis ante gladium circumscribant, postea fodiant ad occasum spectantes; & interpretur *Turca* in explicatione vocis *Perficæ Astrenck*, mandragoram denotantis, dicit esse plantam hominis figuram referentem, quæ & *Dsanam* vocetur, Arabibus idolum, quod non sine superstitione asservetur, vid. *Deusing* in s. Diss. de mandragorâ p. 591. Ut hinc defraudatores circumforanei, vulgò *die Quacksalber* / radicem hanc Germaniæ nostræ jam dudum satis notam reddiderint. Cum scilicet radix ordinario ramos ab inferiori parte obtineat duos bifurcos, alios insuper copiosos dependentes à superioribus habeat, hinc efformant ex illâ virunculum, cujus pedes constituunt rami inferiores, manus verò duo rami superiores ab axillis dependentes, reliquos ut inutiles in radice adhuc tenerâ abscindunt; herbam verò ipsam extrâ
terram

terram prominentem ita contorduplicant, ut speciem pilorum præ se ferat, faciem verò pro lubitu possunt sculpere in densâ superiori radicis parte, quæ omnia vulnera successu temporis, dum incrementum capit radix, ita obliterantur, ut jurares, Naturam ita mirificè conformasse homuncionem, & peculiarem quendam usum intendere. Sed præter imposturas nil in recessu habet nisi hunc primarium usum ipsi adjungere velimus, quod sit instrumentum comodissimum, quo ejusmodi agyrtæ adstantium crumenas ernungere sciunt. Simile experimentum possumus experiri in cucurbitâ communi, sed adhuc tenerâ, cujus cortex nondum incrustatus sit. Si huic infricentur vel literæ variæ, vel aliæ figuræ pro lubitu, dum incrementum capit cucurbita & major fit, omnia vulnuscule non tantum obliterata videbimus, sed & crustâ durissimâ inducta videbuntur. Pari autem ratione ejusmodi virunculos efformare possumus ex radicibus nostratibus, quæ in plures ramos abeunt, ut petroselini, pastinacæ fativæ & aliis, à quibus nec immunis bryonia est, cui æque multa hominis repræsentantia vulnera incidunt, magnoque pretio stultis emptoribus venditant, cum elogiis, quod mandragoris istis bryoniatis maxima præmia, fortunamque in omnibus summam, acquirere possint, vid. *Mindereri Threnodia Med. p. 487.*

§. VII. Sed expectent superstitiosi, quæcunque velint, mitto has nugas, cum vana hæc omnia & fabulosa sint: sufficiat mihi nosse, eam Medicam vim in arthritide habere. Hoc clarius patebit, si examinemus modum propinandi, quod scilicet ipsa mandragora Wagenseilii Nadrugala sit. Radices enim in vino ad tertias partes coquunt, & defœcatum jus servant, cyathoque uno utuntur in pervigiliis & doloribus, pariter ante sectiones & unctiones, ne sentiantur, vid. *Dioscor. Part. II. p. 422.* Nulla hic intercedit mutatio, nisi quod loco vini lac sumptum, quò ipso eo majorem habuit efficaciam.

F

am.

am. Id solum enim in Podagra commendatur, & utilitate quandoque tantâ utuntur ægri, ut ante paroxysmum assumptum eundem non tantum mitigaverit, sed & planè cohibuerit, qualem observationem communicatam M. D. Præses sibi servat.

§. VIII. Magnam itaque mandragoræ vim esse, ex adducto Wagenheiliano exemplo patet, eaq; clarior reddetur, si ipsam Nadrugalæ operandi rationem examinemus. Sapor est paululum acris & amariusculus, siq; odor in adjuventû vocetur, est ingratus & ad Zingiber non nihil accedit, quo prodit suum volatile, quo scaterere solent Narcotica, alias hinc nec tantus, nec tam subitaneus sequeretur effectus. Alkali sal est, sed suis viscidis, gummosis, ac resinosis detentum, hinc & Spiritus vini & aqua in radicem agit, quæ posterior facta solutio nidorosum & nauseosum spirat odorem, & saporis amaricantis est, syrupo violarum viridiusculum inducit colorem, sed is intensissimus fit, si per dies aliquot steterit, & acquisitâ morâ sic sal à compedibus suis se liberaverit; cum acidis effervescentiam præsentaneam iniret, sed cum sal suis receptaculis gelatinosis involutum, ferè nulla, subito tamen sine omni strepitu ab acido affuso turbidus liqvor fit, & aliquid lenti ad fundum secedit: cum aquâ forti aliquandiu mixtio facta si steterit, non permittit, quo syrupo violarum inductus rubor constans fit, sed illico mutatur in flavo viridescentem. Hæc omnia autem ab ulteriore contradictione liberantur, sic dixero, Mandragoram, ut opium, destillatione spiritum alcalicum, oleumq; fœtidum dedisse. Manifesta sic operandi ratio fit, & quod resinosi obtinet, id ex solutione factâ cum spiritu vini & per aquam præcipitatâ separatur, quæ resina ad candelæ flammam promptè resiliendo ignem concipit, ipsa sic textura satis probat & indicat, nadrugalæ in spiritus magnam vim esse, dum non tantû per 48. horas secutus sopor, vid. cit. Excell. Wagenf. sed & à largiori potu amissa vi-

ta,

ta, id quod apud Dioscorid. Part. II. p. 422. legimus. Hic ultimus effectus verò facile ab usu quæquam deterreret, verum si ritè & cautè procedatur, usus sine tanto periculo esse posset, tuncque usum faciliteret vis præsens remedii, quod si non tollat, mitiget tamen & paroxysmum supprimat, à quacunque causâ fuerit malum.

§. IX. An autem valeat ad Podagram omnimodè auferendam, quæstio primaria est. Causa magna magnum requirit remedium. Magnitudo causæ non tam ex eo, quod in salibus consistat tum acidis, tum alcalicis, quam quod ex sanguine natales habeat, ac sine intermissione foveatur: accedit obstructio, imprimis in partibus talibus, ubi & tortuosa textura vasorum, & locus ad dissipandum inconueniens rem difficilem reddunt. Si glandularum subcutanearum à quacunque causâ levi fiat obstructio, quantum labor, quantumve negotium requiritur? An facilius sit cura, quando in glandulis tendinum, ipsisque juncturarum mucilaginosi vitiosa ac irritans mucilago dolores in pedibus podagricis causatur, prudenti judicandum relinquo, imprimis cum ex non naturalibus rebus quotidie ea augeatur & crescat. Aër enim, ut principium vitale, sic & morbi est, & turbarum in sanguine efficiens causa, dum per poros pulmonum & reliquarum corporis partium intrat, & cum cibo & potu magnâ copiâ deglutitur. Ubique æther est, suumque effectum diversum edere conatur, specificatur is à cibo & potu, sicque duplici ex causâ cibus & potus augent Podagræ causam, aliis legumina vel alia viscosa placent, alii delectantur acidis, alios fert appetitus ad salina & fumo indurata, & quæ sunt plura vix omnia enumeranda, quæ consulto & omni studio assumuntur, hoc levi & postea non sat deplorando solatio: Ich esse / was mir schmeckt / und leide / was ich kan. Sic semper crescit causa, capitque ulterius incrementum, si vel venus, vel ira ad obstructions perniciosissimas humores urgens

accedant, quæ neutiqvam ab arthriticis evitantur, sed nec tempore paroxyfmi imprimis ab irâ abftinent, ficq; magis læduntur. Hifce magnitudo caufæ apparet, fatis acerbum inducens ftatum, remedia ubiq; quæruntur, quibus, fi non curari, tamen mitigari poffit morbus: inftituuntur fofus & fuffumigia, illinuntur linimenta ex magnâ ingredientium farragine parata, vix recenfetur remedium, periculum, modo externum fuerit, aut internè nulla noxa metuenda, inftituitur. Paucis, nihil intermittitur, à quo vel aliqualis fuffefus fperatur.

§. X. Hæc omnia, quæ exoptari, & quibus finè omniferè moleftiâ malum auferri poffit, cumulata, ac convenire videntur in radice Nadrugalæ. Nec fopor, licet diutius duret, moleftus dici poteft, cum doloribus, quibus ad mifericordiam ufqve excruciantur ægri, neqvidem comparari poffit. Aft, an scopum attingat, aut quod potiffimum, eundem expleat, adhuc vacillabit. Primum, quod agit in paroxyfmo Medicus, eft, ut inducias à doloribus inferre conetur, narcoticis id promptè obtinet: in hoc nadrugala ferè præcedere videtur opio, à cujus ufu forte id non obtinuiffet nofter citatus, quod à mandragorâ habuit. Hinc fi porro referationem obftructionis à falibus factæ, & fic fimul tranfpirationem liberam efficiat, omnino auro pretiofius Podagricis remedium effet.

§. XI. Narcoticorum operandi vis hæc effe folet, quod fuis partibus elasticis nervorum tubulos ingreffa in cincinofos refiliant, eo ipfo eorum tubulos arte complectendo, & fic quafi adfe trahendo fenfum hebetent, fic aliquantulum obftruendo nervos fpirituum animalium motum & influxum intercipient, unde cum in commercio mentis cum corpore circa dolorificas partes aliquale impedimentum fit, dolor promptè remittit. Hoc modo fi & radicem nadrugalam operari dixerò, minimè errabo. Effectus enim ejus
infi-

infignis & præsentaneus in ægro podagrigo notabatur, dum sopore suppressus postea evigilans à doloribus liber erat. Sed eo ipso remanet dubium, an reserandi & educendi vis ipsi sit? potius ex spirituum suppressione præsentis, & influxu eorum deficiente, quam inducit, quemque impedit, humores magis coire, & viscidiores fieri possunt, sic eosdem coagulatos facit, ut suis ramis magis cohæreant, poros antea nondum obstructos obstruant, aut jam tum obstructos pertinacius obducant, transpirationem suppriment, imò impediant, sicque ad nodosam podagram citius irruendam, & ad tophaceam duritiem humoribus peccantibus viam parent, optimè sic monente *Wedelio* in s. Opiolog. p. 127. Hæc, quæ scribo, licet de opiatis intelligenda sint, usui radicis nadrugalæ tamen etiam applicari posse & deberi statuo, cum ad eus usum ex eadem operandi ratione idem effectus sequatur.

§. XII. Sed vis, ut opii, sic & aliorum narcoticorum, Diaphoretica aliud suadere videtur, cum & observationes prostant, Theriacam tum demum urgere sudores, quando opium theriacæ junctum, ut id non tantum *Felix Platerus* Prax. & Obs. Lib. II. p. 491. sed & *Wallæus* Meth. meden. p. 65. ut & alii experienciâ probant. Sudores succedaneos pulsus celerior & frequentior, cum aucto corporis caloris gradu, sanguinisque turgescencia præcedere solet, atque partes aqvosæ simul agitatae, & ad secretionem copiosius propulsæ, quàm, ut subito resorberi possint, quâ datâ portâ prorunt, & per cutis spiracula, sive glandulosam ex miliaribus & excretoriis constantem cutem, transcolatæ sub formâ guttarum colliguntur. Auctum in motu sic sanguinem requiri, eumque præcedere debere, ut succedant sudores, hæc patet, talemque vim ab omni eo, quod diaphoreticum dicitur, requiri. An in narcoticis, & sic in nadrugalâ eo modo vis sit, pensitandum. Sal volatile ipsi æque ac opio inest, ut ejus ratione omninò sanguinis motum augere videatur, nisi gum-

mosum & gelatinosum obstaret, quo & spirituum & sanguinis motus supprimitur, remittit uterque, sicque non facile ex solo narcotico sudores expectandi, nisi vis accidentalis in eo dicatur, dum glandularum & excretoriorum variorum laxitas ad impeditum inde spirituum influxum sequitur, unde aquosiores sanguinis partes in motu simul retardatae per vias conniventes in guttas colliguntur, sudoresque constituunt, qui hinc ex narcotico producti, ob spirituum scilicet defectum foetere solent, quemadmodum id de sudoribus ex opio foetentibus affirmat Mathiolus in Dioscor. Lib. VI. p. 739. cumque odor mandragorae cum opii aequè ingratum, ut id inter alios citatus autor idem probat, probabile est, si sub sopore sudores secuti, pariter foetidos eos fuisse. Porro experientiam novimus, quod licet alias vigilantibus cum omni molestiam nequidem excitari possint sudores, ipsis dormientibus tamen promptius sequi soleant, ut hinc simul ad sudores spontaneos somnus juvet. Cumque eo modo nadrugalae usum sub sopore nocivum proflueret, quilibet Podagricus usum ejus efflagitare, sibi que de effectu succedaneo felici gratulari posset.

§. XIII. Verum enim verò licet palam sit, quod salutaris ex narcoticis effectus saepe secutus, & tincturae Bezoardicae longè efficacior sudorifera vis sit, si cum opio maritetur, vid. Wedelii Opiolog. p. 90. Lib. II. S. I. putem tamen, si sola narcotica, aut quod hic palmarium, sola nadrugala in usum vocari debeat, ne utique salutaris effectus sperandus sit. Aut enim sub initio paroxysmi eam uti debet aeger, ubi ad transpirationem nec alteratio nec praeparatio in humoribus facta, sic prorsus ea impeditur, aut praeparatis ad transpirationem humoribus adhiberi nadrugala debet, metus omnino justus, ne turbatio fiat, & quod aquosum, abeat, relictis crassioribus. Praeterea, cum nec dosis sufficiens ad eum scopum, nec reiterato sine periculo exhiberi possit, qualis jam erit

rit

rit sperandus effectus? Num mucilago minus præparata, aut iterum ob defectum spirituum turbata sicq; crassior per conniventes poros transudaret, potius quod tenue ac lubricum, scilicet lymp̄ha abiret, & nociva mucilago in morbi augmentum, & podagræ nodosæ proemium relinquitur. Et quænam fieret, ut ea simul moveri inciperet, de quo tamen ob spiritus suppressos omni fundamento dubitatur, ramis tamen suis adhæreret ubiq;, & sic forte fortuna, quod tamen difficillimum, transiret, & forte fortuna, quod multo facilius, eo pertinacius obstrueret. Videntur quidem sudores arenosi majorem de mucilagine sudandâ spem affere, verum sunt inter ea, quæ rarò contingunt, & ubi felices dicendi; quibus eo modo nocivum abiit, non vero, qui tale adhuc fovet in corpore, ut medicamentis expellatur. Neq; probabile, neq; veritati consentaneum est, quod narcotica in talibus fuerint adhibita & si id factũ nec sola, vel sine cautelâ adhibita, ut taceam, quod heterogenea licet solida, modo rotundam figurâ poris convenientem habeant, aut licet figuris abludant, modo minora sint, ut sine appulsu in latera tubulorum poros transire queant, innumera sic, & indefinitè heterogenea è corpore per varios ejus & cutis poros eliminari possint, quod tamen in mucilagine juncturis nocivâ ex rationibus supra dictis non ita facile procedit. Cautè itaq; cum narcoticis agendum, eorumque usus providâ instituendus est manu, imprimis, quæ alias in usum Medicum vix omnino recipiuntur, id quod *Willis* in s. Pharmac. rational. de opiatis p. 199. de mandragorâ sive nadrugalâ censet, cum, licet eâ dolores sedentur, desiderata tamen & perfecta cura inde non obtineatur, imprimis, cum & iste effectus paregoricus adhuc anceps sit, nec omni præcautione semper obtineri possit, cum facile fiat, ut inde sopor nullus sequatur, sic nec ad dolores prorsus sedandos sufficet nadrugala, quod experiri licet, si aliâ in regione hæcce radix in usum vocetur, ut enim alia
plura,

plura, sic & nadrugala suam indolem mutat: hinc in Italiâ nadrugala sine omni infecuto somno assumitur, vid. Eph. Germ. Dec. I. ann. II. p. 129. In Hungariâ autem omnino soporosa radix est. Sic idem observatur, quod cum Napello & Cicutâ notabile, quæ licet aliis in regionibus toxicæ sint plantæ, in Angliâ tamen impunè æque comeduntur, ut mala persicâ nobis in deliciis per totam Asiam venenata sunt. Sic succi, quos terra quævis peculiaris fovet, & æther diversæ naturæ, quibus plantæ vim patiuntur, eas mutant, ut alium ætherem vehendo hisce amicus, & cum horum æthere amicè conspiret, aliis inimicus, eorumque ætheri ad interitum contrarietur. Huc pariter referenda consuetudo est, cujus lege, ut omnia venena, sic & medicamenta in nostrum alimentum ducuntur, ex quâ nonnulli gloriari possunt, quod ad magnam opii dosin, quâ vel centum alii interimi possent, ne quidem somnus sequatur; ut id legimus in variis Autoribus Medicis, it. in *Stalpard van der Wiel*. Et si fiat, ut in rebus nonnaturalibus studio, aut errore corpori, ejusque fluidis mutatio inducatur, vel anno se vertente alia aëris diathesis adveniat, fluida in utroque motu sic & texturâ turbans, idem de Podagra valebit, quod felicissimus *Sydenham* de morbis Epidemicis C. II. p. 8. notavit. *Hoc saltem, inquit, pro comperto habeo ex multiplici observationum accuratiorum fide, febres continuas ita toto, quod ajunt, caelo differre, ut quâ methodo currente anno agros liberaveris, eadem ipsâ anno jam vertente è medio tolles.* Sic pariter podagræ indoles mutatur, ex rebus, quæ vel assumuntur, vel geruntur, vel retinentur, vel quæ extrinsecus adveniunt, quam mutationem si non alibi suspicari, ex juvantibus tamen & nocentibus judicare valemus: sic sæpè in uno eodemque ægro probatissimorum remediorum antea ex voto succedens vis inanis est, aut simul nocet. Id ad nauseam factum legimus in Rege Poloniæ, cujus remedia primâ vice optimo cum successu adhi-

adhibita nil quicquam præstarunt, quam præsentis paroxysmi ablationem. Sic tempore quodam pro balsamo antiarthritico mille aureos Rex solvit Magistro Capellæ, qui quidem non sine auxilio præsentis adhibitus fuit, sed brevi post recruduit malum, & denuo præ atrocissimis doloribus omnium implorans auxilium, admissio rustico Serenissimus pro arcano suo, quod decoctum erat, 6000. florenorum Polon. solvi iussit. Sed quid fit, vix medius præterlapsus annus, & redit paroxysmus, qui ad idem remedium rusticum quidem, sed multo tardius cessavit. Anno verò nondum elapso, eodem afficiente malo, ne minimum quidem levamen prædictum medicamentum afferre voluit. Quæ & plura alia ejusdem generis recensentur in Eph. Germ. Dec. I. An. 4 & 5. p. 284. Cum sic edocti, à probatissimis remediis unâ vicè felicissime agentibus, alterâ, tertiâ & pluribus vicibus, & sic indiscriminatim minime in omnibus individuis effectû desideratû expectari posse, hinc nec nadrugalæ simpliciter fidem habendam, constat. Cum Hipp. Aph. S. I. aph. 2. igitur considerationem adhibendam esse censeo, regionis, temperamenti, anni temperatis, ætatis, podagræ indolis, & reliquorum huc facientium, quæ causam, sic & statum morbi variare possunt. Quæ si omnia probè considerentur, & quod omni ingenti cautelâ adhibitâ, & intentis omnibus animi nervis, sæpe tamen impediri nequeat, quin multi succumbant, aut difficillimè restituantur, nemo facile vel ad probatissima remedia accedet, sed expectabit momentum conveniens, imprimis, si periculum, ut ex nadrugalâ, soporis gravissimi facile sequi & imminere possit.

QVÆSTIO IV.

Quid de inventis & promissis PEGELIANIS sit judicandum?

§. I.

Magnus PEGELIUS, ex antiquissimâ apud Wismarienses PEGELIORUM familiâ oriundus, hujus quondam

G

dam

dam Academiae Professor, quo Parente progenitus sit, compertum indubitatio non habeo. Verisimile tamen mihi est, natum esse Patre *Conrado Pegelio*, Mathematicum Professore, viro prorsus memorabili. De eo enim in Rectorali intimatione funeris filiolarum ipsius Saræ, *J. Boukii*, J. U. D. anno Christi M D LXIV. refert, eum juventutis in hac Academia studia & mores laboribus docendi & regendi jam ab anno Christi M D IIX. instituisse, ut adeo jam tum per integros quinquaginta & sex annos Professioni summam cum laude præfuerit. Tamen integro post biennio, anno nempe Christi M D LXVI. Rectoris munere, senex capularis quidem, quippe annorum, ut supputanti facile patebit, octoginta ad minimum trium, sed tamen *florente*, ut Boukii ait, & *placida senectate*, functus est, quo ipso tempore affixo Programmatae annum Professionis suae quinquagesimum octavum celebravit. Leguntur hæc Programmata in Scriptis Acad. Rostoch. publicè ab anno M D LX. propositis, Part. I. p. 303. & Part. II. p. 366. Post hunc Rectoratum duos adhuc annos vixit, sexagenarius adeo Professor, ut in Progr. Fun. Margaritæ Chytrææ, anno M DC XXVI. scribit D. Joh. Bacmeisterus. Exemplum inter rarissima meritò numerandum. Cor. hujus Pegelii filiam secundo conjugio in matrimonium duxit immortalis gloriæ Theologus, *D. Dav. Chytræus*, ceu est apud *Luc. Bacmeisterum* in Concione Funebris.

§. II. De Magno Pegelio, quæ ex documentis partim publicis, partim Facultatis suæ, cum Parente meo benignè communicavit Excellentissimus Vir, *D. Henr. Christianus Tielken*, celeberrimus apud nos Eloquentiæ Professor hæc habeo. Natus est anno M D XLVII. Doctoris Philosophici nomen à *Nathane Chytræo* accepit, anno M D LXIX, ætatis vicesimo secundo, loco collocatus secundo. In Facultatem ut Magister docens receptus à *Joh. Posselio*,

Pogelio, a. M D LXXII. Postquam deinde & supremum in Medicinâ gradum impetrasset, Mathematicum Professor constitutus jurejurando sese Concilio adstrinxit mense Julio, M D XCI. anno ætatis quadragesimo quarto. Rector electus Academiæ, & simul Facultatis Philosophicæ Decanus Hybernus, a. M D XCIII. & M D XCIV. Desierat jam Professorio muneri (ex quibus causis, ignotum) præesse anno M DC VI. cum eodem anno ei à cive quodam gravis actio & Professorio ordini parum honorifica intentata fuisset; quæ qualem exitum habuerit, non constat. Quamvis verò, redimendæ, ut vocant, vexæ, ut conciliato adversario discederet, consultum ei à Rectore & Concilio fuerit, tamen ex Epistolâ quadam, quæ in Archivis Academiæ hujus asservatur, constat, eundem adhuc hoc in loco vixisse, pressum, ut Protocolla Academica ubiqve testantur, ipseque haud obscure in Præfatione ad Thesaurum profitetur, haud exiguâ paupertate, anno M DC XV. adeoque ætatis sexagesimo octavo. Quare credibile non est, illâ tam gravi, tamq; ad ferias functiones invalidâ atque ut ipse in Præfatione ait, in gravescente ætate, qui emeritus jam erat & dici merebatur, cum præterea famæ detrimentum haud exiguum fuerit passus, Helmæstadium demum vocatum abiisse; quod scribit celeberrimus Polyhistor, *Morhofus*, hujus etiam olim Acad. ornamentum, in Polyh. p. 70. Nescio, utrum Viro error aliquis forte ex *Caseli* nomine obrepserit. Quamquam reliquam vitæ Pegelianæ, forsitan in obscuro ductæ, historiam planè ignorem, certioraque docebunt Helmæstadienses, si ante vitæ finem eò discessit.

§. III. Non puto, facile quicquam in Doctorum manibus, ab hoc Viro editum, reperiri, nisi *Thesaurum rerum selectarum, magnarum, dignarum, utilium, suavium, pro generis humani salute oblatum, auctore Magno Pegelio, Germano Megapolitano Rostochiensis*, Non fit mentio loci, ubi expressus

typo est, sed anni tantum, nempe M DC IV. Inscriptus est Imperatori, Principibus & Rebuspublicis Imperii Romano-Germanici, & privilegio munitus Cæsaris Rudolphi Secundi. In illo promittit innumera ferè aut inventa, aut cogitata, de rebus in quolibet statu generi humano fructuosis & salutaribus. I. Circa Scholam, sive docendi & discendi rationem puerilem. II. Circa Jurisprudentiam veram & salutarem, theoreticam & practicam. III. Circa artem Medicam. IV. Astrometriad & Calendarium. V. Circa Philosophiam & rem literariam totam. Quorsum refert, quæcunque sive in scientiis ipsis, sive in communi vitâ, sive in Reip. & Academiae regimine, sive in ædificiis, eorumque partibus, sive in hominum moribus & institutis, sive in artificiiis Medicis & Chirurgicis, sive in urbium munitionibus & oppugnationibus, sive in rebus domesticis, naturalibus, Mathematicis, artificialibus, sive in conficiendis Machinis, terrâ mariq; utilibus, sive in procurandis rebus aliis admirandis & hæcenus inauditis, inveniri se iudice & effici possunt.

§. IV. Ut ex innumerarum, quas proposuit, rerum farragine, unum tantum alterumque præbeam specimen, promittit modum rationemque, quâ quis possit linguam quæcunque, imò plures simul, utpotè Latinam, Græcam, Hebraicam & quasvis alias, hodiè in mundo usurpatas, sine præscriptionibus & regulis seu Grammaticis, seu Dialecticis seu Rhetoricis, & aliis ejusmodi tormentis, sine omni impedimento & molestiâ, tantum ex aliquo, alias parvi æstimate, attamen singulari & facili usu, tempore brevi, non addiscere tantum & expedite pronunciare atque scribere, sed præterea res ipsas ipso ordine concipere & extemporali oratione, cum accommodatis gestibus & moribus proferre. Invehitur ideò in vulgarem discendi docendique methodum, quam vocat Larvam veteranam, fucum pristinum, perniciosam & fictitiam extensionem, circumductionem, affe-

affectionem, pompam, futilia & phantastica figmenta, macerationem, peregrinas, coactas, molestas, moratorias regulas & præcepta. Credo, propter hunc Scholasticorum præceptorum & regularum contemptum factum esse, ut ab Academia inhiberetur hujus Thesauri editio, quod *Pegelius* ipse in Præfatione p. IIX. disertè fatetur, additq;, fur- tim se titulum de Scholâ superaddidisse, & librum ipsum, Imperatorio consensu fretum, dissentiente Concilio evulgasse. Quomodo enim Academiæ Professori concedi poterat, ut traduceret publicè docendi methodum, gravi consilio ab Academiæ fundatoribus introductam, & à longo tempore non interruptâ serie per Doctores celeberrimos ad illa usque tempora conservatam? Ad quam jurejurandi fide omnes singulique fuerant adstricti?

§. V. Circa Jurisprudentiam promittit, constituere se velle & formare tales judices, qui nonnisi justa & æqua agere possint & velint, nec aliter possint, etsi vellent. Ita, ut justitiæ tantum & solum incumbant, nec fieri ullibi partiarum possint, neque lucrum ullum ex iniquo conamine acquirere valeant: ut tamen interim ex vero & æquo judicio benedictionem, honorem & bona alia percipiant. Judicium verò promittit tale, quo sine ullâ, ut vocant, formalitate, sine processu seu generali, seu speciali ullo, factum cum adjunctis circumstantiis verè & citò & vice ut plurimum primâ, adeoque in continenti patefiat, & in lucem proferatur, statuaturque justum sine omnibus legum glossis, interpretationibus, commentariis quibuscunque. Ita, ut inventâ lege, nulla hîc detur fraus legis. Invehitur hic iterum in rationem veteranam, quâ per multas ambages pervenitur ad sententiam, postquam litigantes excruciiati animo, enervati corpore, enudati bonis, emuncti pecuniâ & exsucti benè probeque fuerint, cum è contra per novitium suum judicandi modum, citrà ullam æris emunctionem, statim & sinè morâ justum

non patefiat tantum, sed executio etiam subito & planè in actum deducatur; ut adeò regulariter quidem sine coactione & persecutione, per se & sponte partes sententiæ latæ pareant pro viribus, & sine morâ ullâ non necessariâ, furo quoque & dolo hic nullo valente, sed insuper damnum autori inducente. Quæ omnia speciatim & prolixissimè persequitur. Tandemque protestatur, se hunc novitium justitiæ administrandæ modum, sine quo alius conveniens & exoptatus non detur, *proferre debuisse invitum, propter communem salutem, propter conscientiam & propter necessitatem*, saltem pro posteris, si jam utilitatem hujus rei nemo agnoscere velit.

§. VI. In Medicinâ promittit morborum & affectionum ferè omnis generis, aliàs etiam curam respuentium, ex naturæ ipsius intimâ informatione, huc usque latente, curationem, & quidem sinè nullâ diætâ, sine ullis Receptis, vulgò ità dictis, quippè quæ sint inventum cæcum, fallax, nocens, enervans, mortem afferens. Invehitur & hic in ordinarios Medicos, qui fatius esse ducant, hominem Dogmaticè mori, quam Empiricè sine arte mortem evadere. *Dogmaticè mortuus est, quæris, quid insuper?* Et tamen eo ipso anno, quo Thesaurum suum edidit *Pegelius*, teste Ampliff. Fac. Philos. Libro, diuturno morbo ità excruciatu fuit vir bonus, ut Decanatum & Magistrorum promotionem *D. Wilibrando*, Collegæ suo, cedere necesse habuerit. Qui morbus post integrum adhuc biennium duravit, ut testatur ipse *Pegelius* in libello, quo ad Civis illius, cujus supra meminimus, accusationem respondit.

§. VII. Volumen integrum implendum mihi foret, si cætera describerem. Instrumentum Mathematicum promittit, magnitudine suâ pedibus 230. extensum, idque immobile, cujus respectu instrumenta, hucusque in mundo usurpata, ludicrum sint & specimen tantum aliquod, sive model- lum, quod ajunt, idque operi magno inconueniens. Quo
omnia

omnia perfectè possint observari & demonstrari. Promittit modum, quo nulli in Rep. sint egeni, & quidem cum divitum aliorumq; majori commodo, quam antè. Promittit rationem, quã republicæ ære alieno intra paucos annos liberentur, & quidem, ut æq; citò magnum ac parvum debitum exolvant, sine damno magistratus, sinè detrimento civium. Promittit, se demonstraturum praxin, quã ratione pecuniã & divitiis non optimè tantum quis frui, sed eas etiam plurimum & ultra fidem augere & accumulare valeat; idque sine usuris, sine negotiatione aut similibus mediis, longè & incredibiliter magis, quam si 6. pro 100. aut amplius etiam capiatur. Promittit modum, quo sine pecuniæ ullius, seu tuæ, seu aliorum interventu, & sine bonorum ullorum, quæ alias possides, solutione, vel diminutione ullâ, divitias, bonâ & dominia ampla, pro te tuisque hæredibus acquirere, & in solidum possidere, & in perpetuum proprietarius retinere, iisque perfrui possis. Hæc & alia Pegelius, qui in tantâ per totam vitam egestate & rerum omnium penuriã vixit, ut omnia ferè Protocolla creditorum querelas & Concilii decreta, solutionem etiam cum supellectilis distractione injungentia, complectantur.

§. VIII. Promittit non morborum tantum & sanitatis ex subjecto uno in alterum translationem, sed & transfusionem vitiorum & virtutum moralium, idque sine alterius in hisce minutione seu detrimento. Promittit efformationem quandam perquam pusillam, quã omnia memoriã retinere, & sinè ullâ morã è vestigio, quando velis, ordine vel eodem, vel retrogrado, repetere valeas, etiamsi dicta rerum capita sint centena vel plura, eaq; vel similia, vel diversa. Promittit, se balneum, quantum & quotiescunq; volueris, mox & quasi momento effecturum, unum & idem permanens, & tamen pro lubitu majus & minus, transferendum de loco in locum sine ullâ difficultate. Promittit, effecturum

fecturum se, ne molitores & alii nonnulli similes, utcumque
vellent, suffurari possint, occasione hinc quacumque amotâ.
Promittit se facturum, ut ex navi, quorsumcumque velis,
prospicias, videasque ipsum aquarum fundum, & quæ in
fundo se exhibent, & quæ circumcirca intra aquas ipsas oc-
currunt. Idque non interdiu tantum, sed noctu quoque.
Promittit artem occultè scribendi & cum altero loquendi, ut
nemo vel vicinorum, vel remotiorum ullo modo prodere
aut animadvertere possit. Promittit modum, quo miles æ-
que postremos in acie, ac intermedios, imò quoscumque ve-
lit, in quocumque inter suos loco consistat, sine præcedenti-
um læsione, & quidem citissimè, & globis præter opinionem
pluribus & innumeris, petere & profligare possit. Promit-
tit rationem, quâ quis saxa ingentia, molaribus non minora,
sine pulvere pyrio, sine balistis, sine machinâ bellicâ aliâ, per
media comparatu facilia, & ubique quasi obvia, & quidem
effectu & vi majori, quam bombardarum emissionibus, in
magis etiam distantia loca, projicere, & illis, quicquid velis,
percutere, conquassare & dirumpere possis. Promittit, se
omnia velle facere durabilia & quasi tota metallica, idque si-
ne opere nimis sumptuoso & arduo. Promittit, se arbores
proceras, imo sylvas integras, una cum radicibus evulsis,
tempore præter fidem brevi, uno quasi in arboribus singulis,
paucis reiterato, & sic exiguum perdurante impetu, fundi-
tus sublaturum esse. Promittit cistam, in quâ fur pecuni-
am non inveniatur, nisi eandem dirumpat. Promittit artem,
quâ hortus quicumque subito & ex improvise omnis generis
arboribus, etiam proceris, vegetis & permanentibus, ali-
unde repleri & trunci arborum formari possint, ac si omnes
miro artificio tornati essent. Sed desino tandem, ne librum
velle scribere videar.

§. IX. Quis non obstupescat ad tot tantaque naturæ
miracula? Non constat ullo vel scripto testimonio, vel nar-
ratione

ratione quacunque aliâ, utrum vel unum eorum, quæ in Thesauro suo consignavit *Pegelius*, in effectum deduxerit unquam? Causam in præfatione libri confert in invidiam & malevolentiam hominum, qui beneficium, ab ipso inventum, non tantum non acceptent, sed offerentem odio, calumniis, insidiis prosequantur, & mala ipsi extrema machinentur. Testatur quidem, multa sibi volumina jam parata esse, quæ exponant, quibus mediis hæc cogitata sua deducantur in effectum, sed partim ea opus habere justâ revisione & tempore & occasione, priusquam excudenda veniant, partim periculosum videri, eorum nonnulla, utpote bellica, omnibus promiscuè revelari, partim æquum esse, ut ex tot annorum meditationibus laboribusque pro se suisque commodum & lucrum, antequam edat, expectet. *Quis*, inquit, *vizio mihi vertat, quod pro tot laboribus, vigiliis, sumptibus, peregrinationibus peractis, & hinc pro rerum inventionem tantâ non aliquid tandem desiderem & requiram, qui hucusque tot annis, sine præmio omnia hæc peregi?* Cumque in conscientiam per has excusationes, quo minus tam necessarium generi humano thesaurum communicaret, se non liberari sentiret, promittit, se parte tantum pro se suisque retentâ, cætera omnia, tanquam maximè necessaria & salutaria, pro usu communi amplissimo, & ad singulos derivato, impendere, & se suosque sponte ad hæc obstringere & obligare velle. Quæ tamen, utcunque vitam in multos adhuc annos protraxerit, secuta non sunt. Denique accusat fortunæ novercantis iniquitatem, quæ pro bonis ab ipso oblatis omnis generis mala, impedimenta & oppressiones sibi reddat, & Musam suam in hæc verba erumpere facit:

*Cur, Fortuna, mihi ingenium, cur cætera donas,
Teque regens ipsam tua passim spicula mittis?
Sed causæ sileant, quas haud novisse juvabit.
Fata DEUS forsam tandem meliora reservat.*

H

Ger-

*Germinis unius tantum sit copia messis,
Post, Fortuna, vale, pravos lege, lude, fatiga.*

§. X. De Pegeliano Thesauro, quid judicaverint vel olim Viri eruditi, vel adhuc hodiè judicent, id equidem sedulò investigando cognoscere nondum potui, nisi quod videam, virum suo merito inter doctorum heroas collocandum, *D. Dan. Georg. Morhofum*, in Polyhistore suo, multa in Belgio & Galliâ & Angliâ & Germaniâ noviter inventa, Pegelio tanquam primo Auctori, originem debere, pronunciare. Quod nuperrimè adeò & repetiit & auxit excellentissimæ eruditionis vir, *Georgius Paschius*, elegantissimo libello, qui de curiosis hujus seculi inventis disquirat. In illo enim ostendit, ex hoc fonte Pegeliano profluxisse chirurgiam illam infusoriam, quâ sani animalis sanguis in venas hominis male habentis transfunditur, dubium, quo primum auctore proditam, de quo diligenter disquirat, p. 93. f. Tum artem aëronauticam, quâ naves in aëre remis velisque, haud secus ac in aquis, aguntur & moventur, cujus excogitationem sibi vendicet *P. Franc. Lana*, p. 112. f. Porro Thaumaturgicem, quâ circumforanei per organa hydraulica ex vase uno diversos liqvores, rubros, albos, calidos, frigidos, effundentes spectatorum oculos oblectant; quam jam Angelo Politiano cognitam fuisse ostendit, p. 272. Item artem, quâ nimirum quantum parcere quis possit lignis, & tamen vehementius & citius calorem fornacibus inferre, in iisque retinere, quam Noribergensis quidam excoluerit; p. 301. Modum quoque moles grandiores vel in altum, vel aliorum agitando, sine ullo labore, postea a *P. Franc.* Tertio de Lanis excultum; p. 293. f. Bombardas, globos solito multò longius projicientes, p. 316. Postremò instrumentum Pantographicum, inserviens transferendis in chartam picturis quibusque, etiam à rei pictoriæ ignaris, operâ cameræ obscuræ portatilis, à *Marco Ant. Cellio* exhibitum; p. 353. f. Concludit *Morhofus*,
Polyh.

Polyh. p. 21. *Cetera Pegelii pleraq; inter nostra etatis inventa comparere; quod tamen paulò liberalius, Pegelium legenti, dictum forte videri possit: rectius postea: fortassis ante Pegelium jam tum alii fuere, qui de iisdem aut similibus cogitarunt.*

§. XI. Equidem nullo modo invidenda est nostræ Academiæ doctori multorum præclarissimorumq; inventorum gloria, cum supremum Numen eundem singulari præ multis aliis ingenio & perspicaciâ, nova miraculosaqve excogitandi, instruxisse videatur. Mihi tamen dubitare non immeritò licebit, utrum quisquam eorum, qui postea inventis nonnullis nomen sibi pepererunt, Pegelii Thesaurum vel viderit unquam, vel legerit, cum vix unquam ille à quoquam, si à celeberrimo *Morhofio* abeas, ipso *Morhofio*, amplissimæ lectionis viro, teste, vel allegatus esse conspiciatur. Id certè de *WAGENSEILIO*, quem ob eminentem eruditionem & immortalia in Remp. literariam merita frequenter in hac disputatione adduxi, asseveranter dicere haud verear, eum, dum *Hydraspidem* suam invenit, orbiqve exposuit, nihil minus, quam *Pegelium*, quem citra dubium nunquam vidit, ante oculos habuisse ducem. *Possunt pluribus eadem sæpe in mentem incidere*, rectè ait *Morhofius*, Polyh. p. 234. Quamquam etiam nolim cum celeberrimo Viro dicere, ex enarratione circumstantiarum, utring; collatarum, idem patere esse inventum: cum Pegeliana machina mole *Wagenseilianam* longè superavisset, pluraqve, si in effectum transiisset, quam hæc, ceu ex solâ verborum Pegelii, à *Morhofio* adductorum, lectione patefcit, præstitisset.

§. XII. De Pegelio verò idem scribit loco citato *Morhofius*: *Ille anno 1604. scribebat Pegelius, surdis narrans fabulas, neq; quisquam ad illius oblata arcana, ut fieri plerumq; solet, respexit.* Equidem mirari, cum clarissimo Acad. nostræ Magistro, *B. P. Carolo*, Disp. de Germaniâ, artibus literisque nulli secundâ, p. 52. subit, cur, cum à Deputatis Imperato-

ris, quod in Præfatione proficitur Pegelius, Thesaurus non lectus tantum *diligenti & attentâ consideratione*, sed & *laudatus*, & *rei literariæ & alias utilis & salutaris iudicatus* fuerit, nec Imperator tamen, nec Principes alii, curiosorum cupiditate ducti, qualescunqve sumptus ad efficiendum unum tantum alterumqve, è cæteris memorabile, suppeditaverint. Sed nec minus mirari convenit, cur non Pegelius ipse saltem unius alteriusqve effectione fidem sibi fecerit, eoqve alios ad cætera, suis impensis efficienda stimulaverit allexeritqve? Cum præcipuè toties protestetur, fieri illa minimo apparatu, leviqve sumptu, & penè nullo posse; præterea sola ab ipso prædicata utilitas, eaqve supra modum magna & insignis, æs omne, quod insumpsisset, non duplo aut triplo, sed centuplo fœnore restituisset.

§. XIII. Quamquam meæ ætati non conveniat, maturum de omni hoc inventorum genere interponere iudicium, culpâ tamen omni, quod spero, carebit, si quæ ex ore Amplissimi PRÆSIDIS & optimi Parentis mei audivi, quæq; contra impugnantes pro viribus defendere conabor, exposuero. Itaq; I. nonnulla horum inventorum, quamquam effectu non destituantur, tam parum tamen commodi & usus, è contra tantum difficultatis & sumptus habent, ut postquam curiositas unâ effectus visione satiata est, nihil amplius eorum desideretur. Tale quid est fornax, vel instrumentum aliud, unâ candelâ subjectâ ita incalescens, ut ova citius quam pruna coquat. Id enim si fieri facile & constanter posset, stultissimi mortalium simus, nisi ejusmodi instrumentorum apparatu jamdiu culinas nostras, loco ligni nimium pretiosi, replevissemus. Lusus sunt hæc talia naturæ & artis, utilitate solidâ destituti. Tale quid est navis in ære agitata, currus pedestris, velis tractus & directus, & multa id genus alia. II. Quamquam Pegelius inventa sua vel omnia, vel pleraq; non curiositati tantum, sed utilitati, eiqve

eiqve summæ & ineffabili, intervirẽ prædicaverit, adeò, ut eorum defectum cum hominum generali exitio conjunctum esse, & generis humani salutem hinc non leviter dependere putaverit: res, inquit, profectò, aliquot sunt tales, ut non sine summo hominum incommodo, detrimento, afflictione, cruciату, pernicie & interitu (qvanta verò hæc sunt!) hucusq; ignorata & neglecta fuerint; Qvis tamen tunc temporis de successu non dubitaverit, cum ne unum quidem, quantum ex indubitatis documentis constat, produxerit, quod ipsi tamen facillimum fuisset, in effectum? *Etsi, ait, nonnulla opere & actu aliquo modo ardua sint, sive sumptuum & laboris aliquanto amplius requirant: attamen & multa hinc inde occurrunt, quæ facillè & impensis exiguis & quandoqve quasi nullis perfici possunt.* III. Ipse Pegelius, quamquam alias magnâ inventorum suorum fiducia fretus, tamen de iis nonnunquam vel dubitat vel desperat. Rogat enim in Præfatione, ne ideò ipsius oblata rejiciantur, quia etiam apud se ipsum impossibilia videantur. *Praxis enim ipsius, inquit, difficultates & obstacula non ignoro, qui tot annos & ipse varia expertus sum, & alias & alibi hinc inde Practica introspexi: adeò, ut imprimis in naturalibus dictis naturam ipsam fronte primâ & experimentis primis quasi ad salendum comparatam animadvertim, dum eadem culturam exposcit sibi debitam.* Imò postea dilerte profitetur, licet ad genus ipsum inventorum se obstringere velit, *& in illis multa ipsemet expertus jamdudum fuerit, tamen se ultiores vel in specie de singulis cautiones hominum nulli daturum, neq; mancipium se quasi facturum esse, sed reipsâ, inquit, & mediis à me acceptis alii ipsimet videant & seligant.* Ecce, nescit indubitato, utrum media, quæ inventa sua in actum deducere debent, si ad ipsam praxin veniatur, id præstitura sint, quod promittit, quoque sperat. Petit ideò tempus, omnia plenè & integrè revidendi, de iisdem cum aliis conferendi, cum errare se posse non perneget, & cum memoriam obtineat imbecilliorum

80
& magis magisque deficientem. Quis fideret his talibus promissis, imprimis si sine magno pretio in actum deduci haud possint? Quis non metueret, ludibrio se omnium juxta & pecuniae profundendae periculo exponi? Possemus igitur illis Morhofii: *Fortassis & Pegelio ipsi, quae omnibus rerum novarum inventoribus, invidia & incredulitas obfuit*, adjicere: & justus, ne profusis inaniter sumptibus effectu destituerentur, metus. Deniq; IV. Multa inventa tam obscuris ambiguisque verbis propofita à Pegelio sunt, ut, quid illis velit, nec Oedipus possit divinare.

§. XIV. Minus dubitationis cogitata illa haberent, si, quibus tantam in omni humanae vitae societate & actu utilitatem & necessitatem Pegelius adscripsit, ut his supressis exitium & perniciem humano generi imminere, & tot hominum millia, quae ejus verba sunt, hinc inde ex horum neglectu & contemptu miserè affligi & è medio tolli, malis iisdem adhuc semper perdurantibus, dictaverit, sub curiosorum naturae artisque vel lusuum vel conatum, aut etiam eruditorum ingeniosorumque aenigmatum nomine venditasset. Cujusmodi illud fuerat, quod ante aliquot annos doctorum solertiae, in quo animi vires exercerent, exposuit WAGENSEILIUS.

BONUM FACTUM!

JOH. CHRISTOPHORI WAGENSEILII
INFUNDIBULUM

MINERVÆ,

Cujus ope

si quis, (quod tamen pronum, facile, oculis expositum est)

DEXTRE UTATUR,

IN CUJUSQUE SEXUS, ÆTATIS, QVALITATIS ET CONDITIONIS HOMINES,

H. E.

Pusiones, Puellulas; Viros, Fœminas; Senes, Anus;
Dociles, Indociles; Sapientes, Bardos; Volentes, Invitos; Conscios,
Ignaros; Nobiles, Ignobiles; Milites, Mercatores, Opifices,
Agrestes, Catholicos, Protestantos, Reformatos;
Citra veneficium, citra pharmacum, citra Hieroglyphica, citra

Lullii

Lulli & Kircheri Combinatoriam, aliamque similem artem,
citra carmina, citra psallendi, vel ridiculum modum
quemcunq; , sine molestia, nullo negotio,
jucundissime,

DIVINARUM & HUMANARUM RERUM PERITIA,
POTEST TRANSFUNDI.

Mentiri non est meum.

Quod ita cepit Divinum, GUSTAVI ADOLFI MECLENBURGICI, æterni & inæstimabilis Principis, animum, ut suis typis recusum, sapientioribus considerandum communicaret. Quid verò elegantius, quid ad literatam voluptatem aptius, quam solutio Wagenfeiliana, quod per historicam rerum gestarum narrationem, aut representationem earundem in picturis, quales in Bibliis Noribergensibus, & Lud. Gottfridi Chronicis oculis objiciuntur, ejuscunq; status conditionisque hominibus, (non omnis, quod nec in tabellâ suâ dixerat *Wagenfeilius*, tamen) Divinarum humanarumque rerum scientia, facilius, commodiusque, quam subsidio quolibet alio, instilletur? Quâ de re in Epistolâ ad Parentem & jucundè differit & eruditè.

§. XV. Quod verò plurimarum lingvarum uno tempore notitiam & quidem facillimo negotio acquiri posse docuit *Pegelius* ceu, supra §. IV. ostendimus, deq; perducendis ad serium virtutum exercitium pueris, in Theatro p. 113. id & *Paschius* sub finem libelli sui recentissimè cum *Erb. Weigelii*, famigeratissimi Mathematici, de formandis ad mentem veterum puerorum institutionibus, comparat, & novis ex Galliâ exemplis puellorum, è solâ conversatione & usu Latinam lingvam quarto ætatis anno loqui scientium, comprobat *Morhofius*, Polyh. Lib. II. c. IX. p. 415. f. Ubi univèrsim de methodis disputat, quibus solito citius ad lingvarum notitiam perveniatur: quibus dum multum fidei tribuit, optatque, ut ad hæc consilia Reges Principesque respiciant, nobis assensum nostrum eousque suspendere fas erit, quousque artificium istud non uno tantum alteroque exemplo eorum, qui sepositâ & oblivioni datâ vernaculâ lingua, uno ipsis perpetuò præsentè, nihilque aliud nisi Latinam linguam non loquente tantum, sed quamprimum emendatè non loqueretur, corrigente Præceptore, unam Latinam in infantia statim audierunt didiceruntque, sed plurimis & facillioribus, iisque, ubi plures linguæ simul edocæ sunt, fuerit comprobatum. Cum vel qualemcunqve linguarum loquendarum, vel comprehendendarum rerum ipsarum & virtutum perfectionem, quantumcunqve in præceptis agas puerilem ætatem,

tem,

tem, obtineri non posse, priusquam adultiores anni iudicium maturius adferant, nunc quidem persuasi sumus.

§. XVI. Unicum adijcio. Promittit *Pegelius*, p. 147. artificium, quo quæcunque scire per universum terrarum orbem expetis, per loca etiam remotissima & itinere inaccessa, & cognoscere ipse & significare aliis queas, ita, ut remoram facere nihil valeat quicquam. Non credo cum hoc invento, à *Pegelio* paulò obscurius descripto, idem esse arcanum Steganographicum, à *Tritemio* primum prædicatum, postea à *Daniele Swendero*, Academicæ antehac Altorfinæ Professore, & à Serenissimo Lüneburgensium Duce, *Augusto*, sub *Gustavi Seleni* nomine latente, (cui in hac Academia versanti, anno M D X C I I I. sceptrâ Academicâ *Pegelius* noster, anterioris semestris Rector, tanquam successori tradidit) denique à *Wolffg. Ern. Heidelio*, excultum. Simile tamen puto. Revelavit id plenissimè Illustris *Wagensæilius* in Exercitationum varii argumenti secundâ ex codice quodam Bibliothecæ Scorialiensis. Conficitur sanguinis humani, ex duobus hominibus emissi, præparatione, quo cum manus inunguntur utriusque, tactâ unâ sentit ictum altera. Singulis igitur digitorum articulis certæ assignantur per totum Alphabetum literæ. Quo ordine articuli ferro percutiuntur, literæ articulis denotatæ in chartam abs absente conjiciuntur, & cum pictura absoluta fuerit, leguntur. Ita quotiescunque collibitum fuerit, etiam longissimè distiti, clarissime secum colloqui, & desideria sua sibi invicem communicare posse creduntur. Ostendit *Wagensæilius* miras latere in sanguine humano virtutes, optatque, ut naturæ mystæ hoc experimentum exactius explorent. De quo verò iudicium nostrum, ne disputationis Academicæ modum excedamus, nunc planè suspendimus.

§. XVII. Quicquid hætenus dixi, vel naturæ haud conveniens, vel sapientissimorum Medicorum rectoribus sententiis adversum, id infirmitatis meæ conscius dictum scriptumque nolo: DEOq; cum pro successu, quem in qualibuscunque studiis meis mihi hætenus largitus est, humillimas refero grates, tum vias meas conatusq; omnes, posthac quoq; suscipiendos, devotâ mente commendo.



tem, obtineri non posse, priusquam adultiores anni iudicium
rant, nunc quidem persuasi simus.

§. XVI. Unicum adjicío. Promittit *Pegelius*, p. 147.
quæcunqve scire per universum terrarum orbem expetis, per
motissima & itinere inaccessa, & cognoscere ipse & signific
ita, ut remoram facere nihil valeat quicquam. Non credo c
to, à *Pegelio* paulò obscurius descripto, idem esse arcanum
cum, à *Tribemio* primum prædicatum, postea à *Daniele S*
demia antehac *Altorsinæ* Professore, & à Serenissimo *Lüneb*
ce, *Augusto*, sub *Gustavi Seleni* nomine latente, (cui in hac
santi, anno M D XCIII. scepra Academica *Pegelius* noster,
stris Rector, tanquam successori tradidit) denique à *Wolffg.*
excultum. Simile tamen puto. Revelavit id plenissimè *Il*
lius in *Exercitationum* varii argumenti secundâ ex codice qu
cæ *Scorialiensis*. Conficitur sanguinis humani, ex duobus
si, præparatione, quo cum manus inunguntur utriusque
ictum altera. Singulis igitur digitorum articulis certæ ass
tum Alphabetum literæ. Quo ordine articuli ferro percuti
ticulis denotata in chartam abs absente conjiciuntur, & cui
ta fuerit, leguntur. Ita quotiescunqve collibitum fuerit,
diffiti, clarissime secum colloqui, & desideria sua sibi invice
posse creduntur. Ostendit *Wagensilius* miras latere in sa
virtutes, optatqve, ut naturæ mystæ hoc experimentum ex
De quo verò iudicium nostrum, ne disputationis *Academi*
damus, nunc planè suspendimus.

§. XVII. Quicquid hætenus dixi, vel naturæ haud
sapientissimorum Medicorum rectoribus sententiis adversu
meæ conscius dictum scriptumqve nolo: DEOq; cum pro f
qualibuscunqve studiis meis mihi hætenus largitus est, hu
grates, tum vias meas conatusq; omnes, posthac
sciendos, devotâ mente commendoy



eiqve summæ & ineffabili, intervire p
eorum defectum cum hominum generali
& generis humani salutem binc non leviter
res, inquit, profectò, aliquot sunt tales,
minum incommodo, detrimento, afflictio
& interitu (qvanta verò hæc sunt!) buca
ta fuerint; Qvis tamen tunc temporis o
taverit, cum ne unum quidem. quantum
mentis constat, produxerit, qvò ipsi tar
let, in effectum? *Etsi, ait, nonnulla oper
ardua sint, sive sumptuum & laboris aliq
rant: attamen & multa binc inde occurr
pensis exiguis & quandoqve quasi nullis pe
se Pegelius, qvamqvam alias magnâ in
fiduciâ fretus, tamen de iis nonnunqv
sperat. Rogat enim in Præfatione, n
rejiçiantur, qvia etiam apud se ipsum in
Praxis enim ipsius, inquit, difficultates &
qui tot annos & ipsus varia expertus sum, &
de Practica introspexi: adeò, ut imprimis
naturam ipsam fronte primâ & experiment
lendum comparatam animadverterim, dum
poscit sibi debitam. Imò postea dilerte
genus ipsum inventorum se obstringere vel
psemet expertus jamdudum fuerit, tamen se
cie de singulis cautiones hominum nulli dat
um se qvasi facturum esse, sed reipsâ, inq
ceptis alii ipsimet videant & seligant. Ecce
utrum media, qvæ inventa sua in actun
si ad ipsam praxin veniatur, id præstitura
tit, qvoqve sperat. Petit ideò tempus, o
grè revidendi, de iisdem cum aliis conf
se posse non perneget, & cum memoriam ob*

H 3

adeò, ut
etum esse,
ut taverit:
summo ho-
pernicie
& negle-
non dubi-
tis docu-
um fuif-
qvo modo
us requi-
le & im-
III. Ip-
suorum
t vel de-
s oblata
deantur.
ignoro,
binc in-
us dictis
si ad fal-
ram ex-
licet ad
multa i-
el in spe-
nicipi-
à me ac-
abitato,
debent,
romit-
& inte-
errare
liorem
&

